Templum Iustitiæ;
SIVE
DE ADDISCENDA ET EXERCENDA IVRISPRVDENTIA DISSERTATIO:

AVCTORE
Christophoro Besoldo, IC.

Accesserunt
EIVSDEM PAPINIANEA Securis; optumi Jureconsulti luculentum proponens exemplum:

ET
DE PERICVLIS NOSTRI SECVLI Oratio; ad Resipiscentiam cunctos adhortans.

OMNIA NVNC SECVNDVM EDITA, varieq; innouata.



ʘ§ʘ

10.

TVBINGAE,
Typis Theodorici VVerlini. Impensis Iohannis Berneri, Bibliopol. Francof.

ANNO M.DC.XVI.

L. M. S.

Dissertatio hæc, Bone Lector, subitariè à me scripta, & habita fuit Auspicatoriæ Orationis loco; cùm ad docendi munus in Incluta Patria Academia adlectus essem. Eam posteà (more prisco, de quo Scipio Gentil. in Apol. Apulei, n. 12.) largiore extendi stylo, praeloq; fortuitò commisi. Nunc, primæ editionis Exemplaribus distractis, denuò illam (vereor vt magis inconsideratè) sub incudem reuocaui, auxiq; variè. Subiungere placuit duos alios tumultuarios sermones, à me edictos in eadem Academia, occasione oblata: itidem quidem anteà publicatos; sed iam multis in locis correctiores. Vale, & hisce, vt modò sunt, fruere, si potes: nec enim mihi tanti videbuntur vnquàm, vt tertiò eorum suscipiam curam.

OMNI-

OMNIBVS, OMNIVM FACVLTATVM IN ILLVSTRI, QVÆ TVBINGÆ EST, ACADEMIA, STVDIOSIS, Salutem.

CVM DE ARGVMENTO CONſultarem Orationis, quâ Iuuenum Te florē, in Profeſſionis ac muneris mei limine, auſpicatò, Moreque compellarem Maiorum; non certè aliud obuiam fieri mihi potuit ocyùs, præ eâ, quæ animo ſemper obuerſabatur, Iuriſperitorum quorundam, de Sapientiæ amore, bonarumque Artium culturâ; & Nonnullorum viciſſim in ſtudiis litterarum ac humanitatis verſantium, de Iure noſtro opinatione peruersâ, cenſurâque faſtuosâ nimiùm. Quippè dum illi ab omni Elegantiâ vacui, ad Practicæ Philoſophiæ, rectæque rationis nō adtendentes Fontem; malo cultu, Digladiationibusque inſulſis, noſtram contaminant Diſciplinam: neque artem Boni & Æqui; ſed nudè profitentur notitiam Legum Iuſtinianicarum; & Scientiarum omnium decóram maxumè, tractant ſanè perquàm illiberaliter. Non de eâ proinde ſtatuere potuerunt Alii aliter; quàm vt de Opificio ignobili, ſed in Ciuitate neceſſario quocunque alio. Quin & diſciplinas quaſvis ingenuas, Tyrannide oppreſſas teneri, ac extrario tantùm, de vulgique ſuffragatione proficiſcente ſplendore, à noſtrâ *Alb. Gentil. 1. de Nupt. c. 11.*

 vinci

vinci Iuriſprudentiâ; ſunt qui perſuadeant ſibi firmiter. Hanc etenim Externas ſaltem qualitercunq; curare commoditates; haud ad Mentem vnquàm, non ad Corporis pertingere Bona: ſuos eandem Sectatores, non veram inuitare ad virturem; ſed in Curiâ atque Tribunali, neſcio quam polliceri Auream meſſem.

Dat Galienus opes: dat ſanctio Iuſtiniana, &c.
Fulvum dat Bartolus aurum.

Nimis graue præiudicium, ex Moribus quorundam, in Ordinem noſtrum facientes vniuerſum. His autem Opinionibus falſis, cauſſam cùm dederit id vnicè; Illi quòd Artibus carere poſſe Liberalibus Iuriſprudentiam, turpiter; Hi verò quòd abſque Philoſophiâ, pro nihilo haud immerenter putant peritiam Iuris. Hâc meâ ideoque Diſſertatione, ad cognationem, & quaſi Concentum, conſenſumq; Doctrinarum omnium, intendere digitum; & Iuris ſcientiæ, ſtudium ſuum applicare cogitantibus, Philoſophiam commendare quàm diligentiſſimè: cæteris, Iuriſprudentiam noſtram, veram, non Simulatam eſſe Philoſophiam, cum Vlpiano, approbare ſum conatus. Ita vt ii demùm Boni ſint Jureconſulti, in Cognitione pariter atque Vſu Iuriſprudentiæ, ſeriò qui Philoſophantur: & pro optimis ab omnibus haberi debeant Philoſophis; non inutilibus Speculationibus occupati, ſed qui Summi illius Philoſophiæ Boni (Iuſtitiæ nempè, & Coronæ Virtutum omnium) compotes & participes in Republicâ quamplurimos reddunt.

Ad quod dum vos Lectionem adhibetis; non aliter ac cùm Ore ediſſerebam, æquo Mihi, qui nunquâm non amabo Vos, adeſte Animo: & rei priùs, ſi lubet, cognoſcite Synopſin.

CON-

CONTRACTIO DISSERTATIONIS SVBSEQVENTIS.

1. *PEr se cognita, haut indigent extraneâ commendatione.*
3. *Imperii & Magistratuum in Ciuitate necessitas.*
4. *Vtilitas Legum.*
5. *Iurisprudentiæ opportunitas.*
6. *Iustitiæ præstantia.*
8. *Occasio & Argumentum proponitur Dissertationis.*
9. *Quanta superioribus Seculis infuscauerit Iurisprudentiam Barbaries.*
10. *Eam felici conatu, studioq́ magno, eluere nunc quàmplurimos.*
11. *Grammatice.*
12. 13. 14. 15. *Quæ olim Grammatices neglectio, Mala dederit Disciplinis omnibus, & præsertim Iuris nostri scientiæ.*
16. *Græcarum Litterarum cognitio, quatenus in Iureconsulto requiratur.*
17. *Logica.* 18. 20. *Iuris ea Studioso necessaria est.*
19. *Ordinis & Methodi commoditas.*
21. *Accursianorum Interpretum confusionem, vel nemo, vel sola discernit Dialectica.*
22. *Dialecticorum quorundam, de rebus planis, horriduli ridentur Discursus.*
23. *Rhetorica.*
24. *Iureconsulti perfectio, atq́ absolutio Eloquentia est.*
25. *Ad dicendi rationem, Ars dux certior, quàm Natura.*
26. *Disciplinarum ingenuarum Concentus, & vinculum commune.*
27. 30. *Cur Iureconsultum maxumè, in omnibus Artibus exercitatum esse oporteat.*
28. *Encyclios disciplina, non confundit animum.*
29. *Nomen olim Eruditi, sola tuebatur Polymathia.*
31. *Ad Sapientiam, viam præsternit Physica.*
32. 33. *In Publici & Priuati Iuris studio, vtilitatem ea habet.*
34. *Mathematicæ scientiæ, Mentem acuunt.*
35. *Arithmetica.*
36. *Geometria.*
37. *Astronomia, Potentiam & Sapientiam DEI spectandam dat.*

38. *Moralis Philosophia, nomen & omen Philosophiæ, sola sibi vendicat meritò.*

39. *Ethice & Iurisprudentia, subalternatæ sunt Scientiæ.*

40. 42. 43. *Iuris studium ingredi cupienti, haud leuiter adtingenda Moralis Philosophia.*

41. *Eam qui spernunt, à bonis Moribus animum se habere alienum produnt.*

44. 46. 47. *Stoicorum Philosophandi ratio, laudatur sobriè, pro eâdem propugnatur modestè.*

45. *Paradoxorum aliquot Stoicorum demonstratio.*

48. *Ea, verioris Politicæ initia ac fundamenta esse satis accommoda.*

49. *Nullam ex Philosophorum Sectis sequendã; sed electione vtendũ.*

50. *Historia idem quod Moralis Philosophia; sed Exemplis agit.*

51. 52. *Veram ea inchoat Sapientiam; quia rerum Mundanarum vanitatem delineat.*

53. *Ex Mendaciis qui componunt Historias, vel veritatis notis inustas non admittunt, in Prouidentiam peccare Diuinam.*

54. 55. 56. *Prudentiæ Ciuilis, Dux est & Magistra, Historia.*

57. *Iurisprudentiæ insuper subsidium bellissimum.*

58. *Ius nostrum in tenebris iacet; lumen nisi Historiæ Romanæ accedat.*

59. *Historiæ Vniuersæ, vnum veluti Corpus.*

60. *Sed id tamen cognitu non admodum difficile esse.*

61. *Historia Patria, cuilibet haud socorditer perdiscenda.*

62. *Pietas.* 63. *Eruditionis multiiugæ Anima est, sine quâ ea, cadauere rogali censenda sordidior.*

64. *Anti-Christus Politicus.*

65. *Iurisprudentiæ, quanta cum Sacrosanctâ Theologiâ intercedat necessitudo.*

66. *Iuris studii duas esse Positiones; Publicum ac Priuatum.*

67. 68. 69. *Politice, Iurisprudentiæ pars.*

70. 71. *An Lex Regia, Ius Publicum sustulerit? contra Rauardum.*

72. 73. *Iuris Priuati cognitione, carere nequit Politicus.*

74. *Iuris Publici intelligentia, non ex Iure solo Romano;*

75. *Non ex Historiis; sed Legibus & vsu singularum Prouinciarum haurienda primitùs.*

76. *Incredibilis Iurisprudentiæ magnitudo atq; difficultas.*

77. 78. 79. *Methodus studendi in Iure. Quinam, ac quomodo Iuris Auctores, atque Interpretes legendi.*

80. 81.

80. 81. 82. *De adornandis Locis Communibus Iuridicis.*
83. *De ratione ac* Διανοίᾳ *Legis perscrutandâ.*
84. 85. 86. *Iurisperitus non sciens, sed prudens: non Iuris saltem, sed Æquitatis & Iustitiæ debet esse Consultus.*
87. *Duæ hodiernæ factiones Iureconsultorum: Accursianorum, & Criticorum.*
88. *Iurisprudentiæ Finis, non in cognitione, sed Usu consistit.*
89. 90. 91. *De exercitatione Iurisperitorum.*
92. *Ad honores, quos pollicetur & meretur Iurisprudentia, gradatim peruenitur tutiùs.*
93. 94. *Semper ad Iustitiam, tanquàm scopum, collimare debent Oculi, atq; Manus Iureconsultorum.*
95. *Aduocatorum Dignitas.*
96. *Quæ eos vitia vitare conueniat.*
97. *Iudices & Magistratus, an Iuris arte carere queant?*
98. *De Iudicum officio ac fine.*
99. 100. *Consiliarii: de eorumq; munere, Regulæ aliquot.*
101. *De potestate Principum solutâ, & exlege: ac quousque ei pius Cõsiliarius fauere, eamq; fouere debeat.*
102. *Boni Professoris Iurisprudentiæ honoris amplitudo, & muneris partes.*
103. *Precatio ad Deum Auspicalis.*

CHRISTOPHORE BESOLDE,
Tubingensium
&
de Iure respondentium

PRÆLVSTRE ORNAMENTVM.

QVæ sacras oculis animisque emissa per orbem
Nectareo Charitum sunt madefacta mero.
Suada stylum format, neruos Themis aurea firmat,
Nec procul à calamo docta patrima tuo!
Nempe TUBINGENSEM Diuæ incoluêre palæstram
Montosisque parant laurea templa focis.

VALENTIN. ARITHMÆUS
Lignitio-Silesius.


EPI-

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

Candide Iustitiam, Lector, paritura priusquàm
Arma Noui stupeas AMPHITRYONIADÆ.
Hîc prius antiquos Alcidæ nosse labores
Disce: Erimantheô robur ademit apro,
Nubigenasq́ue viros, conuulsitq́ue artubus Hydram,
Busirim edomuit, gessit Atlantis onus.
Antæum terris, Stymphalidas abstulit vndis,
Æripedem ceruam cursibus, hoste boues.
Huic Draco poma dedit, latratorq́ue horruit Orci,
Huncq́ue pilosa fero terga Leone tegunt:
Deniq́ue lunatis orbauit Amazona peltis,
Traxit & ardenti cingula rupta manu.
Hæc prior Alcides: iam quid nouus egerit audi;
Cogita &, hunc quanto corde BESOLDVS *agat.*
Barbariem in viridi puer abstulit impiger æuo,
Currere Thespiacas dum benè iussit aquas.
Iustitiæ Templum *Sophies fundauit ad Ædem,*
Astræam in terras, Nomen ad astra tulit.
Iuridicasq́ue Sacris adiungens artibus artes,
Contudit hic dentes, liuida turba, tuos.
Moxq́ue etiam Europam, cunctasq́ue ex ordine linguas
Ingenio Alcides subdidit ille suo.
Gallico & Hispano sermone vbi Iura Latinoq́ue
Hebræo & Graio ornauit, & Italico.
Inde triumfatis Mundi ad Capitolia monstris
Inuidiam horrendum sub pede pressit onus.
Seq́ue sibi æternas statuit Præcone columnas,
Cardine quà in duplici vesper & Eurus eunt.
Iura foro, Themidi Charites, dedit astra Lycéo,
Lumen Auis, Patriæ sidera, Seq́ue DEO.
I nunc, Alcidenq́ue tuum mirare vetustas,
Sic stupeas veterem, sic vetus ipse Nouum.

FRIDERICVS HERMANNVS
Flayder.

DE



DE COGNITIONE ET VSV IVRISPRVDENTIÆ,

DISSERTATIO.

SCite ac ſapienter, meo iudicio, Antalcidas Lacedæmonius, cùm Sophiſta quiſpiam ſcripti alicuius adornaret recitationem, & Antalcidę de argumento percunctanti reſpondiſſet; Herculis Encomium eſſe: Quis, inquit, illum vituperat? Superuacaneum nempè exiſtimans, in eo laudando ſumere operam, quem à nemine in crimen vocatum, vno ore prædicarent omnes; & cuius virtutes nauiter potiùs imitari, quàm inutili & moleſtâ commendatione in dubium vocare, deberent vniuerſi. *Plutarch. apophth*

II. In idem hoc, *Magnifice Domine Rector, Digniſſime Domine Cancellarie, Senatores celeberrimæ huius Academiæ ſapientiſſimi, Profeſſores præclariſſimi; Concio verâ Pietate, verâ Virtute, Eruditione perfectâ, litterarumq́ſingulari ſtudio ornatiſſima:* in hoc idē, vt reor, vitium, quod Sophiſtæ Antalcidas obiecit, & ego nunc inciderem: ſi hoc tempore, ſi hìc loci, in hoc ſi Conſeſſu; vel de Iuriſprudentiæ laudibus, vel de Legum dignitate & neceſſitate, largiori diſſerere contextu, vel deniq́ue Iuſtitiæ præconium texere; ſi tali Argumento benivolas veſtras aures faſtidiosè replere, & veſtro, quod nunquàm ferè habetis, otio abuti vellem.

III. Etenim ſi cuiuis quicquid libuerit, perpetrandi licentia ſit data, vbi flagitiorum vndique impunitas fuerit conceſſa;

haud quicquàm inter nostram ac ferarum intererit vitam: & ab hâc statim radice, omnium scelerum importunitas pullulabit. Imperio propterea opus est aliquo, vique ac potestate maiore; per quam prauæ lubentiæ cohibeantur, quæ cupiditates temerarias refrenet, & quâ immansueti homines, Circeæ quasi Virgulæ contactu reddantur mitiores. Id quòd sinuosis Sapientum voluminibus continetur; ex quibus Anarchiâ nil periculosius inueniri, præstareque sub malo Principe quàm sub nullo esse, accipimus: Idemque, vt indocile quoque perciperet Vulgus (Libertatem quod ex delinquendi æstimare arbitrio, & ferè semper Imperium legitimum assolet recusare) tali olim commento, acutissimeque excogitatâ inuentione effecerunt prudentissimi Persarum Legislatores: cùm nempe fatis functo Rege, ἀνομίαν εἶναι πέντε ἡμερῶν; vtque liceret quinque illis diebus facere cuique quod vellet, indulserunt. Quod quia nil nisi seditiones, publicæque tranquillitatis inducere poterat iacturam; Regno iam ritè constituto, Reges ac Fasces cultu quodam obsequentiore dignari, ac nunquàm non summi beneficii loco habere edocuit Subditos: verumque esse Rabbi Ananiæ verbum; *Ora pro pace Regni, nam si non esset Timor, alter alterum deuoraret viuum*; ratione in vulgus validissimâ declarauit.

Bart. Keckerm. 1. pol. c. 28. & lib. 2. c. 3. ad fin.

Ex Serino Stobæus, serm. 42.

Capitula Patrum. f. m. 42.

IV. Cùm verò omnia in incerto, & in casu dubio posita videantur; quando à iure est discessum, quando non certa Imperandi Parendiq; conditio existit: nec etiam tutum censeatur, accipere Ius à personâ. Leges ideo sunt inuentæ, quæ cum omnibus, vnâ eâdemque voce loquerentur; quæ neque gratiâ inflecti, neque adulterari pecuniâ possent; quarum præsidio

Keckerm. disput. pract. 23. probl. 17.

Eurip. Supplicib.

—— ὅ τε ἀσθενέστερος
ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει:
νικᾷ δ᾽ ὁ μείων τὸν μέγαν δίκαι᾽ ἔχων.

—— & inferioris homo fortis,
& qui ditior est, æquale ius experiuntur:
Vincit autem minor maiorem, si iustam causam habeat.

Secundum quas, ipsi qui Potestate qualicunque funguntur, cum æquabilitate gubernationis instituerent normam: quia nempè:

Mantuan. 1. Sylu.

Dissipat omne bonum, sine Lege licentia Regum;
Vt Boreas frondes glacialis, & hordea grando.

l. 2. §. 5. d. Orig. Iur. l. 10. & seqq. ff. de Legib.

V. In Legibus ferendis, Iurisperitorum consilio opus habemus: & Legibus latis, regulariter euenire solere Pomponius noster

ter attestatur; vt disputatio Fori, Prudentiũ desideret auctoritatem: nec constare Ius possit, Iureconsultus ni sit aliquis, per quem quotidiè in melius producatur; & à quo, de his quæ primò sunt constituta, deque articulis qui Legibus singillatim comprehendi non queunt, solerti interpretatione certius quid statuatur.

VI. Scopus Ciuilis societatis, ac Finis Rerumpublicarum Felicitas est, ipsaq; εὐδαιμονία. Haud verò homini res alia vnquàm prospera censenda, si non benè rectèque & secundùm Virtutem agere: cuius Beatitudinis ac Virtutum omnium (quæ vno Iustitiæ complexu, vnico quæ Iustitiæ comprehenduntur nomine) æquè ratio haberi debet in Imperando & inferendis Legibus; pariter ac in Legum administratione, Legumque sancitarũ interpretatione. Vt nunquàm legitimum est habendum, quod idem non sit iustum; reali quandoquidem & Philosophicâ notatione, Ius à Iustitiâ descendere putetur: ita haud vnquàm Imperii dignandum erit appellatione, quod Iustitiâ non omni ex parte sit præfultũ. Non enim aliud sunt Regna, remotâ Iustitiâ, quàm magna & publica latrocinia; vbi plausum & impunitatem sceleribus parat, non innocẽtiæ ratio, sed sæuitię magnitudo. Ipsa latrocinia nil sunt nisi parua Regna; quæ non bonitate, sed potẽtiâ superantur à magnis.

l. 1. in pr. d. Iust. & Iur. Contius 2. subjectiu. 6.

August. 4. de Ciu. Dei. 4.

VII. Ex his, vt puto, nemo non manifestò deprehendere potest; humanam societatem haud sine Imperio, Imperium nullum sine Legibus consistere posse; in sanciendis & exercendis Legibus, Iurisprudentiam requiri: & Divam illam, quam vnicè Iureconsultus suspicere, obseruare Legislator, venerari Princeps debet, in quâ humana Felicitas consistit, Iustitiam esse. quâ scilicet inter homines nihil robustius pulchriusque existit; quæ Thesaurus est omnium Virtutũ, quamq; Aristoteles, Hespero & Lucifero admirabiliorem esse dicit. Hæc vt nunc prolixiùs exponantur, verbisque vt amplioribus eorum inhumana audacia retundatur, qui Iurisprudentiam, Leges, & indè Iustitiam, temerario despiciunt ausu; planè non necessarium, omninò non reputo nunc opportunum. Neminem quia vestrûm Iustitiæ præstantiam excellentem autumo latêre; quam vtpote etiam iniustissimi odisse solent, non vituperare audent. Neminem quia vestrûm, Iurisprudentiæ & Legum necessariam vtilitatem non perspicere arbitror. Neminem quia de Iuris ac Iurisperitorum gloriâ, dignitateque non præclarè atque egregiè sentire: nullumque nostram Iurisprudentiam, nisi

Nouel. 30. c. 9. §. 2. Nou. 69. in princ. Keckerm. d. disp. pract. 23. probl. 2. & 3.

iniurium, vel ignorantem, inimicum habere, Vos omnes iam ſatis ſufficienter ſcire, mihi penitùs eſt perſuaſum.

VIII. Verùm enimuerò, cùm Inclutæ huic Academiæ, Patriæ meæ ſuauiſſimæ, reique Literariæ, quam latente animi ductu amaui ſemper, me ex aſſe mancipare; vnicè commodis, vtilitatique Studioſorum inſeruire, omnem eò conferre operam, optauerim ab ineunte ætate: ac propterea poſt obitū Clariſſimi ac Conſultiſſimi Viri, *Dn. Iohannis Valentini Neyſferi*, V.I.D. & Pandectarum Profeſſoris fideliſſimi, in ipſius vicibus fungendis, quicquid in me virium eſt ac facultatis obtulerim propensè, votique hac in parte compos fuerim factus: non ſanè mihi videtur aliud magis accommodum argumentum, & quod Initiationem hanc meam condecóret magis inſignitè; quàm ſi primò ad Iuſtitiæ Templum, vbi IC. ampliſſimum Sacerdotium habent, viam commonſtrem: tùm quæ in ipſo Templo Iuriſperiti partes, atque munia ſint breuibus explicem, & in oculis conſpectuq; omnium exponam. Hoc enim, vti ſpero, Iuniores ætateque poſteriores inſtruere; cæteros alios, & Te inprimis, *Magnifice Domine Rector*, Voſque, *Senatores ampliſſimi, Præceptores ac Patroni, ſummâ mihi ſemper obſeruantiâ retinendi*, de meo Conſilio; quomodò nimirum, ac ad quem finem Iuriſprudentiam noſtram docendam, diſcendamque eſſe cenſeam (id quod ſcire omninò debetis) facillimè poterit facere certiores. Ego hîc

—— fungar vice Cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Vos omnes fauituros, & æquo adfuturos animo, ex eo coniecturam duco: quòd me nudiuſtertiùs, Anteceſſori meo parentantem, attentè bonâq; cum veniâ audiuiſtis omnes.

Lipſ. 4. ep. quæſt. 20. & cent. 5. miſcell. epiſt. 83. Caſaubon. præfat. Polyb.

IX. Vberrimos olim quia prouentus, & amplioris Fortunæ vnicam ſpem, non niſi Cauſidicina dabat; omnium ferè ingenia, ad ſtudium vnius Iuriſprudentiæ, magno impetu amabilis lucelli adegit amor: tantumque valuit apud pleroſque auri ſacra fames, vt tanto maiori feſtinatione, non guſtare maturam, ſed vnâ deuorare hanc ſcientiam prægeſtirent vniuerſi. ad vota properantes, cruda adhuc ſtudia in forum propellebant; & Iuriſperitiam, quâ tamen nihil eſſe maius confitebantur, Pueris (quod idem de ſui ſeculi Eloquentiâ conqueritur Petronius) adhuc naſcentibus induebant. Non patiebantur laborum fieri gradus, vt ſtudioſi Iu-

uenes lectione seuerâ mitigarentur, vt Sapientiæ præceptis componerent animos, vt verba effoderent atroci stylo. Ac demùm in Scholis, postquàm sola regnare hæc scientiá cœpit; illicò & Philosophia Practica, eius mater, & cæteræ disciplinæ, eiusdem sorores, aut exulare indè cogebantur; aut quod longè miserius est, solis Pueris & Sophistis, non ad vsum aliquem, sed ad disputandum, vexandæ relinquebantur: imò ipsi Legum peritiæ, impedimento esse censebantur. Adeò, vt quondam (Erasmo teste) Iodocus quidam, Mechliniensi Senatui Præfectus, nusquàm non magnâ contentione tueretur: *Neminem posse vel vnius Legis intelligentiam consequi, qui quicquàm in bonis litteris sciret.* Et Alciatus, cùm humaniores litteras Iurisprudentiæ studiis iungere primus ferè conaretur; à Iureconsultis, non aliter atque transfuga incessatus, & ab aliis qui elegantiores Musas colebant, vt alienus fuerit explosus.

In apophth. Sceuolæ lib. 8.

Claud. Minos, in vita Alciat.

X. At licet superiori Seculo, non pauci passim monuerint atque denunciârint; si quis Ius Ciuile ex fontibus haurire, si quis solidâ ac germanâ Iuris cognitione frui sci, seque non aliquem Rabulam aut Leguléjum duntaxat esse velit; quàm diligens præparatio, aliarumque artium ac scientiarum adminicula huic necessaria forent: & ideò eorum forsan sufficere testimonium possit, qui in Themidos Regno clauum tenent, & à Philosophiæ se iubare nactos esse, quòd acutiùs cernant lusciosо cæterorum Dupondiorum grege, vltrò fatentur: Nos tamen, quia auctoritas sine ratione obest plerunque, vniuersæ Philosophiæ partes ordine perscrutando, tam id certum faciemus quàm quod certissimum est; veram felicemque ad Iustitiæ Templum viam, per medios, amœnissimosque nos ducere hortulos Philosophiæ; à ianuâ aberrare, aliam qui semitam insistit; neque facilè Ius & æquum videre, Artium liberalium qui careat conspicillis.

Mercerius 1. opin. 4. Giphan. epist. præfixa Rittershusii tract. Feud. Rittershus. præfat. Oppian. Vinc. Cabotius, 2. disp. 2.

XI. Primò ergò omnium, Iustitiæ qui Sacris aliquandò interesse cupit, loqui vt sciat; hoc est vt gnarus sit scientiæ scribendi, cognoscendique quod profertur, necessarium est. A teneris annis Grammaticen discendam puto; quam quasi Nutricem præ foribus collocauerunt Artes ingenuæ: quæ velut Spiritum atque aërem, quo illæ omnes respirant & inter se colloquuntur, munificè largitur: sine quâ omnes infantes atque elingues essent, ac Barbaro sermone blæsæ & balbutientes. In hâc, vnâ cum loquendi ratione, inclusa olim erat Auctorum enarratio, Verborum interpretatio,

Fr. Patrit. 2. de Rep. 1. Vinc. Castellanus 1. de offic. Reg. c. 21. & passim Quintil. ac Sueton. de Grammat. illustrib.

tatio, & pronunciandi quidam sonus. Hæc tenuis à fonte, assumptis Poëtarum Historicorumque viribus, mox pleno satis alueo fluebat; & magnâ lateque patenti eruditione, per omnia Scriptorum genera diligenter versata, quæ ab Auctoribus probè aut malè dicta, iudicabat, adulterina & supposititia à veris discernebat: idemque planè, quod nostri nunc Critici salubriter reuocârunt, quondam sustinebat munus. Huius amor & vsus, non Scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminabatur. Hanc in maxumis occupationibus, Cæsar ille perpetuus Dictator, excoluit; edito de ratione Latinè loquendi, seu verborum proportione, accuratissimo scripto, gladio simul & calamo ambidexter. In hoc dissimilis viris militaribus seculi nostri: qui penè inconditi, inculti, immansueti, bonarumque artium contemptores; nihil aliud quam minas, ferocitatem, & Numinis impias deuotiones fremunt atque spirant. Grammaticen porrò tanti fecerunt Romani, vt in triuiis publicâ eam mercede doceri edixerint ex Senatusconsulto. Huic quantam dederint auctoritatem, vel ex eo elucescit; quòd Verrius Flaccus Grammaticus, cum totâ Scholâ, ab Augusto in Palatium traductus fuit: vbi docens, Sestertia (id est, nostrum ad numum, aureos bis mille quingentos) in annum accepit: quòd Palæmon è Scholâ sestertia quadragena annua capiebat.

Ioh. VVouuer de polymath. c. 4. vsque 20.

Rod. Botereius, lib. 4. f. m. 349.

XII. Artem autem hanc, quam Diligentia locupletauit, illustremque fecit; Curiositas obscurauit posteà, dum miris, & ad ineptias vsque ac derisum friuolis quæstionibus inuoluebatur: sed jam aliquot ante secula, funditùs eam Negligentia perdiderat atque profligârat. Totus inter se vnà consentire videbatur Orbis, vt homines, rerum magis quàm verborum & orationis munditiæ, habere satagerent cognitionem: vsus & institutum hoc, ipsam vsque ad Africam peruolauit; vbi, Nicolao Clenardo teste, paucos reperias, qui exactè & purè loquantur, etsi Alcoranistæ sint, & is liber compositus sit elegantissimo stylo. Pariter atque in Europâ, Iureconsulti censebantur, qui nec literali interpretatione Leges poterant explanare: & qui politissimorum Responsorum margines, Glossematis ab omni Latinitate alienis circumliniebant; non secùs ac qui Purpuram spississimo prætexerent panno. Sic noster Accursius, *Quædam Græca esse; ideoq; legi non posse concludit:* & se Rubricam illam, Familiæ erciscundæ, non intelligere, declarat ingenuè. Scribit alicubi Bartolus plausibiliter; *Rebus magis quàm*

lib. 1. Epist. fol. 64.

Rebelais 2. c. 5.

Verbi-

Verbibus, curam adhibere debere Iureconsultum: & eo ipso verborum atque Grammatices cognitioni satis exiguam se impendisse operam, ferularũque adhuc mereri verbera, prodit sufficienter. Iason, qui elegantiâ verborum perpolitas scripsit orationes, & quæ vt volumini orationum Virorum Clarorum interscrerentur, dignæ sunt iudicatæ; in Ius tamen Barbaro eloquio est commentatus: haud aliter ac si Iurisprudentia, & locutio pura nitidiorque, contraria forent; quæ eodem tempore, in vno subiecto consistere nequirent; vel Ius Ciuile inquinaretur, nō incomptè, sed ornatiùs si quis locutus fuisset. Verborum cultu, sermonisque ornatu, magnas atque excellentes artes tradi nō posse, persuasum erat: quicquid sic diceretur, esse Grammaticum; quicquid suo illo more, fœdè ac sordidè proponeretur, id demum esse ex Disciplinis altissimis ac præcellentibus, statuebant. Quantò quis melior Grammaticus, tantò peior Dialecticus, Theologus, vel Iurisperitus habebatur. Imò Linguas, errorum quoddam velut seminarium esse contendebant. Leges nostras Prisciano non subiacère; ne pestis Grammaticalis, in intimos Regiæ disciplinæ serperet aditus, iactitabant. *Viues 1. de corrupt. artib. mihi fol. 20.* *Viues 1. corrupt. art. f. 73. Agrippa de vanit. scient. 31.*

XIII. Ab hâc verò opinatione, nemo dubitet eorum sententiam longè lateq; distare,

—— mentem habere queîs bonam,
& esse corculis datum est.

Hi nimirum vetus & verum illud Oraculum, quòd alicubi Plutarchus adfert, meminisse semper student; *Eos qui rerum vocabula non rectè intelligere curant, in rebus quoq; ipsis errare facillimè.* Nemo sanè animi sui concepta, planè & dilucidè explicare potest, qui nō hoc efficiat puritate proprietateque orationis. Nec soli Grammatici, origines, proprietates & differentias vocum exquirunt; sed & vel propriè atque præcipuè in his elaborant Iureconsulti: quorum scilicet scientia, non in recti prauique discrimine tantùm; verùm & partem maximam in vocabulorum versatur interpretatione. Totus qui est in iure nostro titulus de Verborum Significatione, Grammaticus est. Herennii Modestini fuerunt Differentiarum libri nouem; in quibus verborum ad Ius Ciuile pertinentium discrimina accuratissimè explicauit. Grammaticorum in Notationibus diligentiam, quàm sæpè sequuti sunt Iureconsulti? quàm sæpè in verborum Etymologiis non insubtiliter ludunt? vt cùm *in com. de Iside.* *Quintil. 12. Instit. cap. 3.*

Possessio-

Possessionem à sedum positione; Mutuum, quasi ex meo fiat tuũ; Diuortium, à diuersitate mentium; Instrumentum ab instruendo; Tutores, à tuendo dici volunt. Quàm crebrò etiam de Generum differentiis agunt? vt, cùm Paulus, IC. Penus nomen, omnibus generibus dici asseuerat: cùm à masculino genere concipi fœmininum, & sub masculino generẽ, sexum vtrumque comprehẽdi, Pomponius scribit. Quoties argumentum ducimus ex vi ac potestate vocum & scripturæ? Ex hoc eodem fonte manant omnes illæ disquisitiones Iureconsultorum, de naturâ dictionum copulatiuarum, collectiuarum, alternatiuarum, implicatiuarum, taxatiuarum, consimiliumq; aliarum.

l.4. §.3. d. penu leg.
l.45. in pr. d. leg. 2.
Henr. Gebhard. de princip. iur. concluj. 8.

XIV. Quemadmodùm igitur in optimorum Auctorum lectione & studio, quicunque Grammatices peritus est, summâ cum voluptate, maiori cum fructu versatur: exactiori verò Latinæ locutionis notitiâ destitutus, ad solum conspectum & præsentiam librorum trepidat, nauseat,

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit,
Tantalus infelix; ——

magnisque proindè ingeniis fraudi est vbicunque, non accurata ac diligẽs lectio Grammaticorum, priusquàm ad grauiora discedant, Fruterio dicente. Haud seciùs animum qui addixerit Legali nostræ disciplinæ, hisce elegatiorũ litterarum radiis non peruium vndecunque; nil nisi per nebulam, quod aiunt, videbit, & sciet vnquàm. Artem nempè æqui & boni, ex fragmentis veterum Nomothetarum addiscere cogimur: qui proprietatis verborum religiosissimi fuerunt obseruatores, & quorum summus circa hanc curam est labor; quorum orationis genere in breuitate summâ nihil aptius, in dignitate rerum nihil elegantius esse censet, Auctorum Censor rigidissimus, Valla.* Fontes ergò & capita Legum qui videre, non verò riuulos consectari semper, & Iurisprudentiæ lympham ex lacunis, magno cum labore, maximo cum veritatis periculo haurire gestit; nec purioris Latinitatis, & reconditæ eruditionis vt fiat gnarus, curam habere velit; omnibus illis Prouerbiis is obnoxius erit: quòd ignem diuerberet, quòd lapidẽ elixet, quòd in saxis faciat sementem. Satiùs huic vtique foret, otiosum esse, quàm nihil agere. Tenebræ videlicet si obruant Linguas, aliter fieri nequit, quàm vt consequens eas nox, artes simul opprimat & disciplinas, quæ Linguis illis traditæ conspiciuntur. Cùm enim

Fruter. 1. verosimil. 3.
Cuiac. ad l. 8. & seqq. d. excus. tut. Conan. 3. com. 2. n. 1. Petr. Faber. 2. semestr. c. 2. à pr. VVaremund. de Erenberg. i. d. Fœderib. c. 3. n. 6. &c. Val. Forster. 1. subject. 11.
** Valla. præf. eleg. lib. 3. in princ.*

enim verba magnorum Scriptorum non intelliguntur, omnia apud eos inuerti, & talia eorum dictis necesse est attribui sensa; quæ non ex verbis colligi oportet, sed quæ quisq; pro lubitu comminisci audet.

XV. Neq; hanc calamitatem, miseramque ante renatas bonas literas quæ fuit rerum facies, meliùs nobis, nec ipse depingere posset Apelles, atque vel proprio suo exemplo, eam exprimit & perspicuam facit Accursius noster. Pudet ac tædet dicere, quàm turpiter vbiuis hallucinetur, ex solâ Latini sermonis imperitiâ, & eorum omnium quorum est mentio crebra in Iure Ciuili: vestium scilicet, suppellectilis, instrumenti rustici; tum rerum ac consuetudinum Fori, totiusque Ciuitatis Romanæ; in quibus mens & sententia sita est Legum quàm plurimarum. Hinc pro arbore quadrupedem, pro gemmâ piscem, pro oppido fruticem capit; & Prætoris Album, existimat parietem esse dealbatum; Balucam, quæ vox aurum χρύσαμμον notat, interpretatur ille baiulans lucem; Bastagarios laniones, aut vt ipse loquitur, becharios; Toparios fossores esse putat. Ex Lytis (quorum in Constitutione de Methodo Iuris docendi, meminit Iustinianus) hirquos vel hircos facit. Et quis omnes eius consimiles enumeret lapsus? quorum prætextu, vnâ cum congeneribus, è sublimi illum vel Pueri derident, & cum Prisciano Vapulante, concinnè producunt in Scenam, mordacique passim aceto perfundunt.

De Theologorum Scholasticorum ridicula notationis assignatione. v. Henr. Steph. i. de l'Apologie, c. 29. & 37.

Claud. Verderius in censione auctor. f. 120. VVilh. Possardus d. Magistrat. Atheniens. c. 17. f. m. 511.

XVI. Quemadmodùm autem purioris emendatæq; Latinæ locutionis, callentissimus esse debet Iureconsultus: ita similiter firma nobis sententia stat, fœdissimo errore labi, qui confirmare audent; nullum esse vsum, nullam ex Græcis litteris vtilitatem capi. Cùm tamen, qui Latina nouit, negare haud queat, in Grammaticâ claudicare prorsùs, omnique adeò elegantiori litteraturâ, qui nesciat Græcè. Origines verborum perscrutari lubet; bonam illorum partem à Græcis oriundam reperimus: sin formas dicendi perpendamus, omnes penè ab illo quasi fonte emanasse intelligemus. Nil ferè Poëtæ, nil Oratores Latini laude digni protulêre, ab illis quod non sint mutuati: de Philosophis illud certè constat; omnes esse, si qui fuerunt in Latio, Interpretes potiùs quàm Auctores. Quod attinet Ius nostrum, quàm frequens est mentio verborum Græcorum, in toto corpore Ciuilis Iuris? tum potissimùm in Codice, & ex eo posterioribus tribus Libris; reconditâ pruden-

Heinsius orat. d. coniung. Græcor. Lingua & disciplinis.

Vid. Origines Becmani.

Guil. Val. Forster in Interpr. lib. 1. c. 2. n. 25. &c.

tiâ admodùm cõfertis. Nemo Reip. Statũ, qualis post Constantinũ Magnũ fuit, Linguæ Græcanicæ subsidio si destituatur, noscere penitiùs; & sine hâc notitiâ, haud feliciter Ius nostrum poterit explanare. Quàm plurima ex Græcis, Imperatorum Constantinopolitanorum, qui post Iustinianum Imperitârunt, Constitutionibus hauriri & erui possunt; quæ maximè interest Politicum atque Iureconsultum non nescire. Vt nunc de aliis Iuris Græco-Romani, tam Ciuilis quàm Canonici libris, nihil dicam: Theophili certè Institutiones, Harmenopuli epitomen, & Basilicω̃n libros, magnoperè ad illustrandum interpretandumque facere; vel Gothofredi nos, quæ omnium manibus teruntur, Glossemata admonere possunt: & illa tamen omnia, liberaliter nobis Græcia suppeditauit. Ipsæ Nouellæ Iustinianeæ, Græcè primitùs sunt scriptæ: earumque Interpretum, haud benè tutam esse fidem, Cuiacius, & post eum alii prodiderunt. Summatim hîc dico: Haud secùs atque in luce hominum viuere non potest, qui ne modicam quidem peritiam habeat sermonis Latialis, ac Fori dialectorum, verborumq; Latinorum magis vsitatorum in debito casu capiendorum; ita pariter Iuris Studiosus, Græcam linguam vt minimùm intelligere, vtque eius aliquam reddere queat rationẽ perdiscere debet. aliàs namque Auctorem se intelligere aliquem ex Latinis notæ melioris (quibus nempè plura ferè interseruntur Græca, quàm vernaculo idiomati Latina) vix sine mendacio poterit affirmare.

V. il Parnasso del Boccalini. cent. 1. c. 9. f. 37.

XVII. Futurus porrò Iureconsultus, non loqui tantùm, & cluere Philologus multiplici variâque doctrinâ: sed eâ, omnique aliâ cognitione, cum ratione vti; hoc est, Animal rationale esse debet. quo titulo vix mihi dignandus videtur, ratiocinandi qui artificio; qui Logices (artium verè maxumæ & apicis scientiarum) destituitur cognitione. Rationis vsus, vti Homines constituit; ita à Beluis seiungit eosdem: his arma & tegumenta subministrauit Natura; Homini nil suppetit, nisi Ratione, Intellectu atque Prudentiâ se tueatur. Mentis solertiam illa differendi ratio auget impensè: Iudicium subleuat scientia intelligendi. Ergò cùm vnicum Hominis officium, sciamus esse rationis vsurpationem; cur non vnicè etiam, quæ in ratiocinando est argutiam diligere debeamus? Cæteris formandis artibus ac scientiis necessaria hæc est: huius ductu omnes docentur certiùs, discunt faciliùs, feliciùs exercentur: ab hâc docere discimus; hæc eadem discere docet. Modius ni adsit, nil

Cisner. in Oper. philolog. f. 585. Matth. Stephani in præf. Dial. Iurıs. Zach. Vietor in Topic. differt. 1. n. 79. nouiss. Forster. in Interpr. 1. c. 3. Henr. Gebhard. d. Princip. Iur. conclus. 10. Et omn. optimè D. Ioh. Iac. Plebst, in præfat. dispp. Nouantiq.

nil mensurabitur: sic & Logices absente medimno, exquisitè nil, nil cognoscitur cum ratione. Ea totius literarii Regni anima est: idemque quod in homine Rationis efficit lumen. Philosophiæ fundamentũ est, lima & politura Sapientiæ Humanæ: quia Philosophia nihil aliud est, quàm restitutio Rationis in primæuã quodammodò dignitatem; Rationem verò & Intellectum Logica dirigit, ac non solùm vt sciamus, sed vt reflexiuè sciamus, h.e. ne nos scire nesciamus re ipsâ facit. In hâc ipsa Ratio se aperit atque demonstrat: quæ sit, quid valeat, quid velit? Sola hæc sermones veritatis (quod inculcat Diuus Paulus) ritè secat. Hæc vndè erui possint Argumenta edocet; explicando definit, ambiguum primò videt, deinde distinguit; postremò regulam adhibet, quâ vera, quâ falsa diiudicentur, & quæ quibus propositis sint, quæque non sint consequentia: quasi lucem adferens ad ea, quæ confusè aut aguntur, aut respondentur. *2. Timoth. 2. v. 15.*

XVIII. Quamobrem cùm Dialectices officium, & opportunitatem, in eo potissimùm consistere sit manifestum; quòd verum diiudicat & inuenit, inuenta ac diiudicata ordine disponit, methodiceque proponit; quòd quæ tractanda sunt explicat, explicata ordinat atque probat: Quis non perspicit illâ eâdem Arte, vel minimè omnium carere posse Iurisperitum? Cuius quippè proprium munus est, quid in quaque re veri sincerique sit animaduertere: falsa & simulata in negotiis diiudicare; ac omnia ordinatim, omnium ante oculos constituere.

XIX. Omnia tum in rebus naturalibus, tum etiam arte effectis, ab Ordine dependere; locuples magistra veritatis Experientia testatur.

Machina perpetuo Cœlestis ab ordine pendet:
Ordine peruenias, quò non licet ire labore.

Non inscitè Baldus, *Bonum in Ordine consistere*, affirmat: *Scire*, inquit, *quid facias; nescire verò quo ordine facias, non est perfectæ cognitionis.* Meliùs distincta cohærent; & Ordo tractatus, est de forma librorum. Sicut Dispositio Iudicium acuit, & Memoriæ certum lumen adfert; ita Confusio vicissim, rectam animi intelligentiam impedire, & semper obscurare assolet: adeò, vt quicquid peccatur, perturbatione rationis atque Ordinis peccari, Cicero non dubitet pronuntiare. Iureconsultos veteres, magnam in iure tractando Collocationis rationem habuisse, compositio tot Edictorum, ab *in proœm. ff.* *VVaremund. ab Erenb. par. 1. d. fœder. c. 1. n. 140.* *in partit. Orat.*

Iuliano in vnum librum congesta, satis ostendit luculenter. Tribonianum in Pandectis ritè disponendis, non indiligentem fuisse, Giphanius demonstrare confidit: licet earundem distributionem inconsideratam, & materiarum in titulis indigestam commistionem, quamplurimi reprehendant; & Leoninâ detractâ pelle, Arcadicum nonnusquàm apparere germen, scribant haud pauci: quàm mihi nunc non despondeo litem. Sollicitam in Ordine & Methodo curam posuisse, priscæ illius seueritatis Iurisconsultos, ex paucis adhuc in Iuris nostri systemate exstantibus frustulis, integrum est videre. Ac ne res careat exemplo; de operis noui nuntiatione tractans Vlpianus: *Nunc videamus*, ait, *quibus ex causis fiat nuntiatio; quibus nuntietur: in quibus locis fiat nuntiatio: & quis effectus sit nuntiationis.* Ordo autem, rerumque tractandarum distributio recta, frustrà in artibus tentatur atque disciplinis, his nî conatibus Logica fauoris adspiret auram. Absurdum quippé nam est, Aristotele dicente, *scientiam simul quærere, scientiaq; modũ.* Et alibi idem: *Non eodem habitu iudicari pertinentia ad scientiam aliquam, & pertinentia ad ordinem in eâ seruandum.* Ac porrò ea demùm vera Methodus est, is rationabilis Ordo statuendus; non disponere tantùm, sed & probare qui simul possit. Quia nimirùm Ordo per se, est tantùm dispositio siue series rerum tractandarum: Methodus autem instrumentum habetur illationis, vnum ex altero deducens. Id quod ignorare videntur hodierni Ramistæ; Ordinis aliàs obseruatores studiosi, ne dicam superstitiosi.

in Oeconom. Iur.

Post VVesemb. Hierem. Setser. in præf. tr. d. Iuram. Donell. & ad eum Hillig. 1. c. 1.

l. 1. §. 15. d. oper. nou. nunt.

In calce 2. Metaphys.

1. d. part. animal. à pr.

Iac. Martin. dispp. Miscell. lib. 1. disp. 12. à pr. adde Franc. Piccolom. in Comite Polit. part. 5.

XX. Neq; Collocationem solùm & Methodum cùm monstrat: verùm & aliis suis partibus omnibus, fidelissimam necessariamque operam Iureconsulto Dialectica præstat. Rerum etenim inductum est Naturâ, vt plura sint negotia quàm verba: & Leges quamlibet multæ, omnes quotidiè variis modis incidentes comprehendere nequeunt casus. Argumentandi ergò hic opus est peritiâ, concludendiq; ratione. *Quâ si destituatur, qui se vel Cæsareis vel Pontificiis Legibus addixerit, aut planè nullo, aut minimo certè cum fructu torquerizat rursum, nihil vsquàm tam inuolutum, aut intricatum occurrere posse, quod non paruulo statim negotio expediat, explicetq;, pulchrè qui calleat rationem argumentorum*; verè scribit Nicolaus Eberhardus. Qui idem in alio loco ait: *Quòd si quis de Iure aliquid verum esse dicit, id probare debet, allegando textum expressum, vel inducendo textum in argumentum, per aliquem locorum Legaliũ.*

l. 4. de præscr. verb. l. 10. de Leg.

Epist. ad lect. Topicæ præfix.

In præf. Topic. n. 14.

Si itaq;

Si itaq; non didiceret Topicam legalem; laboriosum illi simul & incertum erit probare, quod ipsi probandum venit: at contrà si quis artem istam didicerit, ille hæc facilè expediet, & viâ certiore, &c. Nempè ex minimè dubiis & immotis Principiis Iuris, beneficio Analogicæ doctrinæ (dum ea docet quid quamque rem sequatur, & quid cuique contrarium fiet) Decisiones in iure deducuntur vniuersim. Sola hæc earum Certitudinem, tanquàm ex fonte quodam limpidissimo deriuatam, cuique gustandam præbet. Ius in Facti circumstantiis situm, inuestigat artificiosè: Leges ad Regulam aliquam, Æquitatisque normam dirigit; hoc est, Ius in hypothesi scriptum, ad theses & vniuersales quasdã propositiones seu definitiones (vel inuito Duareno) non sine necessariâ vtilitate reuocare docet: & iterum Regulas receptas, Facto perplexo applicat ritè. *Hotoman. in Iureconsulto. pag. 87.* In negotiorum Legumq; latissimo campo, amplissima nobis vbiuis controuertendi occasio occurrit: quam passim amplectuntur sine delectu, cum hominibus ad dissentiendum facilitas sit naturalis. Hâc idcircò Veri à Falso diiudicandi Scientiâ indigemus; rationem quę habeat, ne cui falsò assentiamur, néve vnquàm captiosâ subtilitate fallamur. Absque hâc arte, quemuis arbitrantur à vero abduci, & in errorem procliuiùs induci posse. Sine hâc ipsâ, Iurisdictio inanis loquentia, vel impostura potiùs, Rebuspublicis perniciosa magis, quàm vtilis censetur. Hæc ni præsidio sit adiumentoque, Iuris subtilitates neminẽ perfectè interpretari posse, firmissimè Zasius asseuerat. *ad l. 1. §. veteres. d. acquir. possess.* Dialecticam hûc afferendam aut certè addiscendam esse, decernit Hermannus Vulteius. *In proleg. Iurisp. Rom.* *Vt*, inquit, *in cognitione iuris, Ingenio; ita in eius vsu, Iudicio potissimùm hominis est opus: quod à Logicâ informatum rectè, rectè Iuris Præcepta in genere cognita, ad speciem accommodabit.* Necessitatem hanc probè perspicientes, Iurium studiosis peculiarem Logicam conscripsêre multi. Et indè Herennium Modestinum, quòd notando disputandoq; optimâ ratione decreuerit pleraque, Arcadius IC. præclarè commendat. *l. 18. §. 26. d. muneribus.* Hincque Cicero, Seruium Sulpitium Artem iuris solum habuisse opinatur; quòd Dialecticorum præcepta, in definiendo, diuidendo, & argumentando ad vnguem didicisset: quibus adiutum, etiam sine Doctore, Ius noscere posse operâ facillimâ; idem Cicero, quâdam ad Trebatium Epistolâ scribit. Hinc quoque in Iure nostro scripto, nil ferè in contentionem venire videas, quàm *Mercerius 1. opinion. 4.* Definitiones, Diuisiones, Consequentias. Hinc inibi passim obuiæ

Iuris Regulę sunt, ex Logicorū petitę septis: nemini nisi Dialecticō cognitu faciles. In Generalibus specialia inesse. Generi per speciem derogari. In Toto partem contineri. Sublato principali, adiacens quoque tolli. Cessante caussâ, effectum cessare; durante illâ permanere. Formâ mutatâ, propè interimi substantiam rei. Actum quemq; ex suo æstimari fine: nec quicquàm eundem operari debere, vltra agentium intentionem. A separatis non rectè inferri. Omne qui dicit, excludere nihil. In alternatiuis alterutrum adimpleri, sufficiens esse, &c. Sic Proculi sententiam de Disiunctione & Subdisiunctione; de triplicis Coniunctionis modo, Responsum Pauli; Iuliani de Cauillatione seu sophismate; eiusdem de Coniunctionis ambiguitate; consilium Africani de Perplexitate, ex verbis Testamenti natâ; nemo, si non in Dialecticis sit versatus explicabit: & alia infinita. Quæ tamen Stoicorum in differendo subtilitatem, quorum Sectam atque institutionem prosequebantur nostri Iureconsulti (cum quibus Genus pro specie, pro indiuiduô Speciei vocabulum sumunt) magis quàm Peripateticorum redolent facilitatem.

l.124.d.V.S.
l.142.d.t.
l.65.de R.I.
l.13.de reb.cred.
l.88. ad l. Falcid.
Mercer.1.cap.15.
Cuiac.ad Afric. tr.5.
l. 2. si cert. pet.
Senec.epist. 85.

XXI. De confusione Interpretum Accursianorum, ex quibus nihilominùs desumere cogimur Iurisprudentiam nostro seculo accommodatam; multæ multorum querelæ exaudiuntur dispersè: & eorum vitia, sequentibus verbis complectitur Antonius Vacca, haud ignobilis Iurecōsultus: *Nescio*, inquiens, *quo Fato sit factum, vt veram docendi, atq; interpretandi rationem, amiserimus paulatim: dum vel ambitione atq; ostentatione, vel germanæ veræq; doctrinæ inopiâ, supernacuas Quæstiones inculcant; de rebus impertinentibus & non necessariis, nec suis locis disputant. Auctoritati suorum, plus quàm Rationi tribuunt. Quæ breuiter dici possunt, magno verborum apparatu atq; anfractu agunt: atq; vbi interpretatio maxumè desideratur, id ne attingunt quidem; vbi non desideratur, ibi intenditur magno conatu. Interpretum Commenta, magis quàm Leges ipsas enarrant: tùm mutuis velut telis sese ac vulneribus, conficere student. Sacra Prophana, Diuina Humana, docendo commiscentur: nihil distinctè ab originis aut simplicitatis suæ cognitione, repetitum traditur. Denique id vnum agi videtur, vt magno labore, magnaq; temporis, & pretii librorum iacturâ, nihil scire videamur.* Hactenus ille. Nostrorum quidem Iuris Doctorum ingenio, & acumini, multùm mihi tribuendum esse videtur; in gloriâ & laude illorum industriam arbitror

Epist. ad Alex. Farnes.

bitror ponendam, Regularum & Casuum congeriem multiplicem, nemo non laudibus efferre debet: acu rem tetigisse Cuiacium puto; qui tam Græcis, quàm Latinis interpretibus Accursium anteponit. At enim qui sine Methodo in iis versatur, qui non ad certum Ordinem eorum reuocat traditiones, non disputatricis illius scientiæ subsidio limat & polit; qui spretâ Zasii animaduersione, non vim Differendi Legibus iungit, & ita rationem effingit naturalem: Is in vastissimo, incertoque Mari, præsidio magnetis orbatus, Cynosuræ etiam priuatus aspectu, vix vllibi locum inueniet tutum; haud vnquàm dormibit in Portu. Non hâc de re Iudicium mihi tribuo soli; sed Germaniæ quondam adstipulantem habeo Iureconsultum primum, vel interprimos, Oldendorpium dico: quem ipsum, solus ne videar sapere velle, loquentem nunc facere lubet. *Iurisprudentia, ait, cur præ cæteris artibus sit obscura, caussa est: Primum, quia Iurisperiti non rectè docuerunt ab aliquot annis; partim vanâ ambitione gloriæ, partim ignorantiâ seducti. Tum id quod in vnâ ac simplici cognitione erat, in infinita torserunt; vt nulla hominis Ætas sufficiat nunc lectioni vel solius Iasonis aut Baldi. Deinde, quoniam non obseruârunt Forum; hoc est, traditiones suas non exegerunt ad vsum forensem: nec perpenderunt quid huic Seculo conueniret, quid obseruatum esset, quid mutatum aut abolitum videretur; idq; breuiter. Deniq; quòd non adhibuerunt Methodum, sed omnia confusè tractârunt. Imò in quibus maxima vis erat gubernandæ Reip. & Legum interpretandarum, de his aut nihil aut erronea tradiderunt; contrà quæ obliteranda potiùs erant, scripserunt sæpiùs: ordinem planè inuertentes. Vt igitur emendemus hunc errorem, ante omnia fugere oportet vanam lubidinem rixandi: scilicet, res ciuiles tùm publicæ tum priuatæ, magnâ grauitate, atq; ad captum Iuuentutis, simpliciter & crassè tractentur. Deindè Methodus seruanda fuerit, vt priùs fontes quàm riuuli perspiciãtur: & priùs Diuini quàm Humani Iurisformulæ, concinnâ quâdam Breuitate proponantur.* Sanè compertum habes,

Ædibus in nostris quæ praua, aut recta gerantur:

& quod vnum his tot incommodis remedium sit optimum, cõmonstras Oldendorpi. Si namque in discendâ Iuris arte, si in eâdem exercendâ, Logices & Methodi præcepta respexissent Antiqui; si Iustinianeum hunc fundum, illo artium subegissent instrumento; si non ferè Logices posthabito studio, ad altiora nimiùm properanter festinassent, non tot opinionum varietate, non tali confu-

lib. 3. obs. 11.

in l. quamuis. d. in Ius voc.

confusione, non tam infinitâ vnquàm immensitate, Iurisprudentia nostra laborasset: non ita fluctuaret Iurisperitus, vt vbiq; aqua, quod aiunt, hæreat,

atq; animum celerem nunc hùc, nunc diuidat illùc,
in partes rapiens varias. ——

Quis etenim quæ Antiquiores auia sunt sequuti, magis dextrè declinaret Logico? Hæ in quibus iacent sordes, si non lixiuio Logico elui, errantes si non in semitam reducere Logica conetur;

Ὀυδ' ἂν μὰ δία γ' ἐντεῦθεν Ἐξηκεστίδης.

Non per Iouem hinc vel ipse viam Execestides.

Iam ante Christi Saluatoris nostri saluberrimam natiuitatem, de
2.d.legib.f.446. sui temporis Iureconsultis, memoriæ Cicero prodit: *Eos, siue erroris obiiciendi caussâ, quò plura & difficiliora scire videantur; siue, quod similius veri est, ignoratione docendi (nam non solùm scire aliquid artis esse, sed quandam etiam Artem existere docendi) sæpè quod positum est in vnâ cognitione, id in infinita dispartiri.* Huic ille malo, fomentum è Pharmacopolio Dialecticorũ se petere, idem hisce verbis refert ibidem. *Ego in hoc omni sermone nostro, quod adcunq; Legis genus me disputatio nostra deduxerit; tractabo,* ait, *quò ad potero, eius ipsius generis Ius ciuile nostrum: sed ita, Locus ipse vt notus sit, ex quo ducatur, quæq; res & ars Iuris non difficile sit, quæcunq; noua caussa, consultatiovè acciderit, eius tenere ius; cùm scias à quo sit capite repetendum.* Hoc ipsum etiam multis modis, Libro de Oratore priori, ostendit: *Perfectam* nempè *Iuris Ciuilis artem constitui posse tradens, si primùm id in Genera digeratur; eaq; ad certum numerum paucitatemq; reuocentur: deinde eorum generum, quasi quædã membra dispertiantur; tum propria cuiusq; vis, Definitione declaretur.* Ad quem lo-
2.d.Inuent. cap. 5. cum Rodolphus Agricola se referens: *Dialecticam ideò à Crasso in Iureconsultis desiderari statuit; ne apud eos omnia sint Actorum similia. Vt enim in iis sententiæ cuiq; sui Auctoris præponitur nomen: sic in Iure Ciuili, notatione nominum eorum quibus quid visum est, cum cuiusq; Placita & Responsa nominatim commemorentur, omnia esse occupata.* Plena hæcce Prudentiæ & Fidelitatis consilia, exempla & Monita illustria, nostrâ ætate successu prosperrimo quàm plurimi sunt sequuti: Ordinis qui beneficio, huiusque inueniendi & iudicandi peritiæ subsidio, Ius vniuersum, dissipatum & conuulsum anteà, & quod olim, innumeros propter Auctores, infinitum ac difficilè habitum fuit, ratione quâdam commodissimâ cõstrinxerunt;

runt; & quæ à veteribus ingeniosè essent inuenta, nec tamen ritè digesta, composuerũt generatim: adeò vt magis nunc quàm olim, in facili cognitione versari videatur studium nostrum.

XXII. Ast quemadmodùm meritò detestandus est Iohannes Faber; qui ex eo reiicit Definitiones, aliasque similes argutias Logicales; quòd ne obulum quidem ex illis lucrari queamus: pariter vt minùs quàm de palustribus ranis de istis est laborandum, qui Logicam; & quæ cum eâ magnam habet affinitatẽ, nec aliud ferè nisi accuratior quædam & realior Logica esse videtur, Metaphysicam puto, ex Templi nostri sepimento euellere conãtur. Ita, quod hîc silentio inuoluere non debemus, artis haud exiguæ reputatur, interdùm artem ipsam dissimulare, nec intempestiuè philosophari; potiùs ex arte dicere, quàm multùm de arte disputare: idque quod tractatur, instituere secundum Dialecticam rationẽ; neque tamen Logicos, & ex Metaphysicorum dumetis decerptos Terminos, loquendique Formulas austeriores, importunè passim infarcire. Hoc quippè Exorcistas (qui Dæmonas hominibus furorem inferentes, horridulis adiurationibus, & diro Barbaricorum vocabulorum susurramine fugare se posse iactitant) magis quàm Humanioris literaturæ Antistites quis dixerit decere. Acumine hoc captioso, peruersâ & præposterâ tali sapientiâ, seu puerili potiùs ostentatione, artem per se optimam, artisque nomen & famã præclaram, sordidè iam olim Scholastici, & adhuc hodiè nonnulli alii, contrectârunt seu conculcârunt veriùs; multosque, huic disciplinæ aliàs haud iniquos, fecerunt infensissimos hostes. Non ex Logicâ, quæ τρόπ☉ ἐπιστήμης, & ὄργανον est Disciplinarum, extruenda erit scientia aliqua speculatiua. Minimè omnium κριτήρια, principia, & fundamenta scientiarum, in dubium reuocare ea debet. Conuenit illam ancillare, non imperare; sequi, non trahere; subesse, non præesse. Et in iure præsertim, haut vbique subtilis Dialecticæ ratio obseruari debet: cùm nempè multò magis exitus rerum, quàm Dialecticen nonnunquàm ponderent Iureconsulti; & in Iure Ciuili contra disputandi rationem, multa recepta esse pro communi vtilitate, innumerabilibus rebus probari possit.

in §. non scripto. Instit. d. Iure gent.

Iacob. Martin. 2. disp. miscell. 1. theorem. 2. Henr. Gebhard. d. princip. Iur. concl. 12.

Zach. Vietor in Topicis. dissert. 1. ad fin. adde M. Lutheri epist. fol. m. 73. de Anno 1518.

Hotom. illustr. quæst. 3. Cagnol. in l. 1. §. 1. ff. si quis ius dicent.

l. 51. ad l. Aquil.

XXIII. Rhetorica, Logices soror; seu, vt Aristoteles loquitur, ἀντίστροφος, Dialecticæ scilicet quid est adgnatum: nec ab eâ in aliquo differt; nisi quòd strictis hæc, altera passis crinibus conspicitur pulchra. Dialectica contracta & adstricta Eloquentia; Rheto-

1. Rhet. 2.

rica dilatata Logica est. Hæcque duo genera Orationis, Princeps etiam & inuentor Stoicorum Zeno, vsque eò coniugauit: vt hanc compressæ in pugnū manui, illam explicitæ similem pronuntiârit. Rhetorica sine Dialecticâ imbecillis; Dialectica sine Rhetoricâ rudis omninò, & quasi elinguis esse reputatur. Hoc vno vel maximè feris bestiis præstamus, quòd colloquimur inter nos, quòd dicendo exprimere possumus sensa. Quamobrém quis hoc non iure miretur, summeque in eo autumet esse elaborandum; vt quo vno homines animantibus ratione cassis summè sunt superiores, in hoc ipsis hominibus antecellat?

Cic. 1. d. Oratore. & 1. d. Inuent. n. 7. XXIV. Vt verò reliquas disciplinas Eloquētia ornat, ipsamque Σοφίαν illustrat, & iure meritò copiosè loquens, vulgique sensibus accommodata Sapientia indigitatur: sic eadem Iurisperito intima prorsùs, eadem in totum necessaria est Iureconsulto. Ea in Foro nata, & quōdam à Iuris scientiâ separata; nunc cum hâc ipsâ planè in vnitatem venit: ita vt non alii quàm Iureconsulti, veterum Oratorum hodiè obeant vices. Sontes hi premunt, protegunt immerentes; Rebuspublicis à Consiliis sunt; Legationes obeunt: vbi aliquid suadendum, seu dissuadendum, laudandum vel vituperandum, accusandum vel defendendum, gratulandum seu cōdolendum, & res vbi similes sunt expediendæ; opera semper insumitur Iurisperitorum. Quid ergò obstat, quò minùs hanc Oratoriam facultatem, in eo genere ponamus, vt Ciuilis scientiæ, seu Politices partem esse dicamus; & eum in Iure Ciuili, haud suæ arti satisfacere posse putemus, dicendi qui non copiam sibi parârit. Hâc nî præditus erit, intelligimus omnia in Iureconsulto, etsi fuerint summa, exilia fore. Ornatâ & sapienti Oratione, non solùm dignitas ipsius; sed & priuatorum multorum, & vniuersæ Reipublicæ defenditur salus. Per eam multæ Vrbes constitutæ, plurima Bella restincta; fortissimæ Societates initæ, Amicitiæ sanctissimæ sunt comparatæ; sæpeque Oratio effecit, quod effectum dare nequiit hostile ferrum. In Iureconsulto vel Politico, immodicum qui improbant Eloquentiæ studium; his eadem, quæ olim Demosthenes, possumus respondere. *Eloquentiæ* scilicet *studium, hominem ostendere verè popularem, salutiq; Populi consulentem; contrà verò Oratoriam negligere facultatem, esse eorum qui dominari Populo quærerent: vt qui hoc satagerent, non dicendo vt persuaderent, sed vt magé cogerent vimq; adhiberent.* Nullos olim magnos Iureconsul- *Plutarch. Demosth.*

tos,

ros, prisca & proba habuit Roma, quin & iidem magni fuerint Oratores. Vicissim ætatis veniam consecuti Oratores, honesto vt otio fruerentur, interrogantibus de Iure respondere solitos fuisse, Cicero scribit.

Mercer. 1. opin. c. 4.

XXV. Non equidem negauerim, sequi plerosque hanc opinationem, vt fortiùs dicere videantur indocti: at id fit malè iudicantium vitio, maiorem qui vim habere credunt ea, quæ arte carent; effringere quam aperire, rumpere quàm soluere, trahere quàm ducere robustius putant. Verùm quis adeò, non ab eruditione modò, sed à sensu hominis est remotus; vt fabricandi quidem & texendi, & è luto vasa ducendi censeat artem: Rhetoricen verò, opus maximũ pulcherrimumq;, in tam sublime fastigium existimet sine arte peruenisse? Aliquos dicẽdi copiam sine arte ac ratione consequutos, abnuerim nullo modo: attamen, præstantiores si didicissent futuros, dicere licet ac par est. Ars quàm Natura dux certior habetur: & vt hæc loquenteis atque loquaces; ita illa assolet facere Eloquenteis. Nihil est Ars sine materiâ; & ideò doctrina nulla poterit esse sine Naturâ: ac naturales Impetus vbi desunt, etsi vtcunque talia Ingenia assuefieri possint; habitus tamẽ redduntur imperfectiores. Ad Naturam autem eximiam atque illustrem, ratio quædam confirmatioque cùm accesserit Doctrinæ; tum illud nescio quid præclarum existere ac singulare: & summa ars, materiâ quâcunque optimâ, iure melior esse censetur. Vt interim tacitus prętercam, multas in Iure nostro acceptiones, non nisi è doctrinâ Troporum, quam Rhetores proponunt, explicari posse: quod nemo, vt opinor, negare ausit.

Quintil. lib. 2. c. 12. 16. ac 19.

Henr. Gebhard. d. Princip. Iur. concl. 9. Forster. i d. Iuris Interpr. c. 2. num. 31. &c.

XXVI. De Artibus liberalibus reliquis, Philosophiæque membris omnibus, vt singulatim multa dicam; & quam ob causam earum cognitio, ad Iustitiæ & Ciuilis Prudentiæ Adyta tendentibus, necessaria existimetur; pluribus explicare, iam temporis angustia non admittit. Vnicum quod M. T. Cicero, nõ vno loco vrget, sufficere forsan hîc posset Argumentum: arctissima nimirùm illa cognatio, societatis illud vinculum commune, ingenuarum & humanarum artium doctrina quo continetur vniuersa; alia vt ex aliâ nexa, & omnes inter se aptæ colligatæque, nec non communes quasdam proprietates habere dicantur, quas sibi mutuò impertiunt per amicas vices. Vnde & Mythica Theologia, Musas implicato amplexu illigatas, choros ducere tradit; tãquàm

Cassiod. 4. var. vlt.

si imaginem huius coniunctionis intuendam exhiberent. Hinc & ipsæ Musæ, quasi ὁμοῦσαι dicuntur: quòd inuicem sicut Virtutes, necessariæ sibi esse iudicantur.

XXVII. Ac quamuis cæteræ Artes, sese ipsæ per se tueri singulæ possent: attamen Iurisprudentiam (quam eandem esse cum Ciuili seu Politicâ disciplinâ, suo mox euincam loco) omniũ non vulgarem habere decet notionem. Ea etenim πασῶν ἐπιστατικὴ à Platone, & μάλιστα ἀρχιτεκτονική, ab Aristotele insignitur: eò, quòd Architectonis velut ductu & auspiciis, Officinatorum sed operâ variorum, Basilica aliudvè ædificium exstruitur magnificum; ipsi ita Politicæ subiiciuntur vniuersim Artes & disciplinæ omnes. Harum opera & actiones non equidem illa facit; factis veruntamen operibus & actionibus imperat, ad salutemque Reipubl. vtitur vniuersim. Legislatoria ergò Iurisq; & Imperandi ars, omnibus aliis Disciplinis, Legum præscribendarum cùm sibi scientiam sumat; si quomodò aliæ Artes atque Disciplinæ ad vsum Reipublicæ accommodandæ sint, monstrare satagit; sanè nullarum non intelligens esse debet: omnium illarum, vel talem saltem habere par est cognitionem Iureconsultum; qualiter Architectus, de aliorum Artificum facultatibus qui diiudicat atque cognoscit, nullius earum prorsus est ignarus. Nec mutat hoc pacto scientię suæ genus Iurisperitus: sed potiùs, vti facere bonũ Interpretem decet, artium aliarum præcepta, à systemate suo cognitioneque distincta, in vsu rerum rectissimè coniungit. Reliquarum artium principia, non quidem nostræ artis propria esse dico: sed ad penitiorem Legum intellectum, perbellè eidem arbitror inseruire posse. *Ciuilis hæc scientia*, inquit Parladorius, *adeò latè patet, vt nulla ferè sit disciplina, cum quâ commune nihil habeat: quippè quæ de omnibus in vniuerso orbe contingentibus caussis, & negotiis statuat atq; decernat*. Quid etiam hoc fieri turpius, quid absurdius dici potest, quàm eum qui hanc susceperit personam, vt Amicorum controuersias, caussasq; tueatur, laborantibus succurrat, ægris medeatur, excitet afflictos; hunc in minimis tenuissimisque rebus ità labi, vt aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? Hoc artiũ a humaniorũ liquore, si nõ irrigetur & emolliatur; nemo magis sterilis, non vllus magis ferus & ferreus, ab omniq; elegantiâ æquè alienus est, ac solus per se Leguleius. Vndè & inueterato Prouerbio; *Merus Legista, purus putus Asinus* denominatur. His vt Cerdonibus aliisve artificibus illiberalibus

Henr. Gebhard. d. Princ. Iur. concl. 3. & seq.

ad fin. librer. rerũ quotidian.

Traian. Boccalin. d. Parnasso. i. ragguagl. 31. à pr.

libus vtuntur Politici. Hos ab inscio, prorsùs distinguere nescias, persecutionum si Formulas, ac Cautiones quasdam subtraxeris acutas. Diuitiis quandoque & vanâ Pompâ aliis anteire videantur: at interim Literatori & Grammaticello cuique; ipsisque adeò ludibrio atque despectui sunt Idiotis, si quibus anima non est pro sale data. Nihil insolens atque ineptum me dicere vt cognoscatis; Iohannis quoque Mercerii, haud obscuri nominis Iureconsulti, & Donelli quondam ac Hotomani, in illustri Bituricensium Academiâ collegæ, Testimonium proferre lubet, qui ita scribit: *Per omnes omnium Scientiarum præceptiones discurrit Iureconsultus; nec eis quidem carere potest, nisi eum carere putes, qui ab aliis mutuetur quod dicat: cùm tamen turpe sit Iureconsulto (quod Seruio Sulpitio Mutium Scæuolam respondisse Pomponius adnotat) id in quo versatur ignorare. Nunc dicam paucioribus: Is perfectus erit Iureconsultus, qui de quâcunque re, quid æquum, iniquumvè sit, respondere possit. Atq; ita quidem expressa videbitur, eius Iureconsulti quem quærimus Imago: vt is sit, qui Disciplinas Resq; omnes nôrit, &c.* Quibus simillima & planè gemina, posteritati tradidit eruditissimus Cisnerus. Ἀληθέστερα τῶν Σιβύλλης ἢ Βάκιδος hæc esse, quis sanus audeat negare? Ita se habere Iureconsultum, eum per omnia scientiarum omnium subiecta versari, ipsa ipsius Iurisprudentiæ Definitio docere potest; quâ cōstituitur Notitia Diuinarum atq; Humanarum rerum: ipsa nempe Encyclopædia, ipse Doctrinarum orbis, concentus & consensus Disciplinarum omnium; ex diuersis aptus & temperatus Scientiæ cinnus. Taliter alii Philosophiam definiêrunt: hincque sibi quę olim Philosophi sumpserunt, ea Vlpianus potiùs tribuit Iureconsultis; & Iurisperitiam, veram non simulatam indigitat Philosophiam. Ac proindè Philosophiam, vix nominis sono à Iurisprudētiâ differre, Antonius del-Rio arbitratur. Aues imaginatione Veneris, oua concipere aiunt, sed subuentanea: ita qui Polymathiam vt inutilem planè improbant, ac Regias disciplinas sordidi & impoliti nituntur amplecti; pro corpore vmbram tenent, ex hocque complexu nascetur tandem ridiculus mus. Leuium pennarum acumina, ideò olim in fronte Musarum Antiquitas pinxit: quoniā earum sensus celeri cogitatione subuectus, res altissimas intuetur. Multi sæpè conqueruntur Iuris Prolytæ, in elegantioribus Literis frustrà se tempus & operam consumpsisse; haud multum illas ad Iurisprudentiam iuuare. Verùm ii nec Ius, neque Philosophiam

1. opin. 4. fol. 19.

Tr. d. Veterib. IC. f. 560. 577. &c.

Cisnerus in Orat. d Orig. Iur. Ant. Faber. i. Iurispr. 3. confut. 2.

l. 1. §. 1. l. 10. §. 2. de Iust. & Iure.

i. d. princip. Iur. v. Henr. Gebhard. d. Iuris princip. conclus. 6.

Cassiod. 4. var. vlt.

ſatis benè noſcere mihi videntur. Etenim quandoque cultores ſuos etiam non aduertentes ſubleuant Litteræ, ſubueniunt tacitè, inſenſibiliter opitulantur.

VVouuer.c.29. & paſſim. de Polymath. *Gribaldus d.rat. ſtudendi.1.c.2.*

XXVIII. Fallunt pariter & falluntur, præpoſterâ qui deſperatione fruſtrà ſibi perſuadent, Animum humanum nullo modo ſufficere tam variæ doctrinæ, tam multiplicibus diuerſiſque rebus; nihil ſolidi atque firmi ſubhærere, cùm ingeniâ in diſparilia & inter ſe aliena trahuntur: *Opifex*, inquiunt, *hic quiſquis eſt, haud alibi vacat*. At verò

Dii meliora piis, erroremq́ hoſtibus illum.

1. de Architect. Audiamus & auſcultemus potiùs Vitruuium; qui ait: *Mirum videbitur Imperitis, poſſe Naturam tantum numerum doctrinarum perdiſcere. Cùm autem animaduerterint, omnes diſciplinas inter ſe coniunctionem rerum & communicationem habere; fieri poſſe facilè credetur. Itaq́ qui à teneris ætatibus eruditionibus variis inſtruuntur, omnibus literis agnoſcunt eaſdem notas, communicationemq́ omnium Diſciplinarum; & eâ re faciliùs omnia cognoſcunt.* Sed tollamus amicam hanc communicationem. Sine cauſsâ ſanè arbitramur Animum confundi, eiuſque vires imminui, in diuerſum tendentibus Diſciplinis, quibuſque nec mens nec ætas ſufficere videtur.

d.Veter. IC. f.577. *Eſt*, inquit Nicol. Ciſnerus, *incredibilis vis Mentis Rationiſq́ humanæ, quæ quam ſe cunq́ in partem dederit, plurimùm poteſt: quâ perſpectâ, minus ille Doctrinarum inter ſe quaſi concentus cognoſcitur. Itaq́ nihil eſt in rerum Naturâ, quod acri Ingenio homo non cernat: ſi modò & liberaliter doctrinâ puerili ſit inſtitutus, & ſtudio flagret, & diligentiam colat, & labori aſſiduo ſit aſſuetus.* Solari nos poterunt Ariſtote-

1. Metaph. lis verba; qui cenſet: *Scire Sapientem pleraq́ omnia, quantùm fieri poteſt, non per ſingula ſcientiam eorum habentem; ſed* (vt poſteà addit) τῇ καθόλȣ ἐπιςήμῃ, *vniuerſali quâdam ſcientiâ contentum.* Pulcherri-

In Theatet. mè Plato, verum Philoſophum aſſimilat Πεντάθλῳ, Quinquertioni. *Eſt enim reuerâ talis, vt nulli rei vni ſeruiat, neq́ exactâ diligentiâ vnum aliquid elaboret: ſic, vt dum vni huic totum ſe impendit, reliquas res omittat aut deſerat; vt in ſuo quiſq́ genere artifices ſolent: ſed magis omnes res arteſq́ moderatè libet, & attingat.* Non propterea profiteor Ardelionatum, dum ita variis ſtudiorum generibus quemlibet ſe experiri debere volo. Non nego verum eſſe illud Michaëlis

Epigram. lib.4. Marulli;

Poſthume rem ſolam qui facit, ille facit.

Sed ta-

Sed tamē potest is, vnum qui facit, plurima scire: generalem nempè illam cognitionem intra vnius artis gyrum coërcendam, ad vnum præcipuè scopum referendam esse puto. Polymathia versabitur quidem in aliquâ varietate doctrinæ; vna tamen erit, ex diuersis mutuâ communicatione colligatis apta & continuata. Nec damnarem etiam eum; qui cùm multis par esse non possit, accuratiori vnius alicuius artis, aut quoque eiusdem saltem partis inuestigationi, se totum tradit. Modò pariter non illud Plinii Iunioris reiiciamus: *Ut satius est vnum aliquid insigniter facere, quàm plura mediocriter; ita melius esse perficere mediocriter plura, si non insigniter possis aliquid vnum.*

v. Emund. Richerii Obstetr. animor. c. 2. n. 4. & VVarem. de Erenberg. i. d. Fœder. i. n. 88. f. 67.

lib. 9. Epist. 29.

XXIX. Haud certè Iurisprudentiam & Iureconsultum, Ideali solùm notione decreuimus terminare; nec inani opinione fingimus Iureconsultum, quem in omni seculo inuenire difficile; digito autem hodiè monstrare impossibile fiet. Hoc olim Veteres firmissimè sibi persuasum habebant; distributione partium ac separatione, Artium magnitudines diminui. Nemo Virorum Magnorum ita Literas discerpsit, vt non genus complecteretur vniuersum. Vna quædam omnium rerum quæ essent homine erudito dignæ, atque eo qui in Republicâ vellet excellere, doctrina fuit. Nemo quondam ad Honores adipiscendos, & ad Rempublicam gerendam, nudus veniebat atq; inermis, nullâ cognitione rerum, nullâ scientiâ ornatus; nemo bonarum Artium, denique Virtutum ipsarum societatem cognitionemque ignorabat: hæc officiis occupati, succisiuis temporibus curabant, id est nocturnis. Dies negotiis impendebant, cum somno valetudinem computârunt. Aliis nunc viuitur moribus, aliud nos agendo agimus pessimè: & ideò ad Magnitudinem priscæ Vetustatis, nec homines neq; Imperia hodiè pertingere queunt. Quod de Senatore Laurentius Grimalius scribit: nos idem iure meritò de omni Politico accipimus & Iureconsulto. *Sin aliquis illustrior*, inquit, *apparet; is aut vnius anni Militiæ vsum, aut Iuris scientiam Pragmaticorum, aut Diuitias solas, aut domesticam Auctoritatem, in Senatum secum adfert: bonarum verò & honestarum Artium scientiam, Virtutumq; cognitionem non nôrunt, &c.* Et paulò pòst: *Omnis enim Sapientia, ex Rerum cognitione efflorescat necesse est: quam nisi homo ex magnarum rerum, artiumq; scientiâ fuerit consecutus; nihil vnquàm dignum, non Senatore modò, sed ne homine quidem cogitârit, dixerit, feceritvè.* Summi olim in Repu-

Cic. 3. d. Orat.

Plinius præf. ad Vespasian.

1. d. Senatore opt. f. 88. & seq.

in Republicâ Viri, Præceptoribus summis Philosophis vsi, & in vniuersâ Philosophiâ exercitati; vix dum è Philosophorũ Gymnasiis egressi erant, muneribus cùm Reipublicæ grauissimis iudicabantur pares. Sic Alexandro filio, Aristotelem acciuit Præceptorem Philippus; à quo ille & agendi acciperet & loquendi præcepta. Pericles Anaxagorâ, Critias & Alcibiades Socrate, Dion Platone, Isocrate Timotheus, Epaminondas Lysiâ, Xenophonte Agesilaus, Archytâ Philolaus profecit. Romanos quoque, Sapientiæ gloriâ qui excellere voluerunt, omnia quæ quidem tùm Ciuitas illa nosset, amplecti solitos esse: Sextum Ælium & M. Martium, Ciuibus omnibus consilii sui fecisse copiam, itaque aditos memoriæ tradit Cicero; non solùm vt de Iure Ciuili, verùm etiam de omnium aut officio, aut negotio interrogarentur. Hanc fuisse P. Crassi illius Veteris, hanc T. Corrucani, hanc Scipionis prudentissimi hominis scientiam; vt ad eos de omnibus Diuinis atque Humanis rebus referretur: iidemque & in Senatu & apud Populum, & in caussis Amicorum, & domi & militiæ, cõsilium suum fidemque præstarent. Q. Ælium Tuberonem IC. summum, Philosophũ & virum eruditum fuisse; Sextum Pompeium præstantissimum Ingenium contulisse ad summam Iuris Ciuilis, & perfectam Geometriæ, ac rerum Stoicarum scientiam, testatur Cicero. Apud eundem alibi, tres IC. in totidem diuisi sectas, de mysteriis Philosophicis disputant accuratissimè. Velleius Epicureus, negat Deos & Deorum Prouidentiam; Lucilius Balbus Stoicus, eandem asserit; in vtramque partem nutat Academicus Cotta. Fuerunt ita & Iuris nostri Conditores, à Philosophis instituti, aut Philosophiæ imbuti studio, omnium Artium, Auctorum omnium iuxtà gnarissimi: quod extat, atque passim apparet ex ipsorum quę in Pandectis habentur reliquiis, atque fragmentis.

l. & 3. d. Orat. ac in Bruto.

d. nat. De r.

Gothofr. ad l. 2. Littera Y. ff. de Legib.

XXX. Quam etiam rationem reddere quimus, cur nunc in Academiis plerisque, qui Gradum in Philosophico agone adeptus est summum; Anno citiùs, quàm Alii, ad Doctoream adspirare possit dignitatem: quasi scilicet illum luculenter iam scire præsumatur, quæ post Iuris studium inchoatum, adhuc omninò perdiscere decet eum, qui in Philosophiâ non eruditionis multiiugæ testimonium habet; Iureconsulti si modò Titulũ satis tueri velit. vel, quòd faciliori operâ, in Iure discenda quæ sunt absoluat; Humaniorum qui litterárum, artiumq; liberalium omnium, haud vulgari præditus est cognitione.

XXXI. O-

XXXI. Omni homini, ne dicam Litterato, nec dicam Iureconsulto; Physica & Mathematica non libâsse Studia, turpissimum est. Cùm formâsset Iehoua Deus è terrâ omnes bestias agri, omnesque volucres Cœli; adduxit ad Adamum vt videret, quî vocaret singulas: & quocunque nomine vocauit Adam animans quodque, id nomen est eius. *Genes. 2. v. 19. vl Tremell.* Atque *hoc certissimum esse*, ait Chrysostomus, *Sapientiæ quæ homini inerat documentum: quòd non solùm sui ipsius, sed & rerum creatarum & Naturaliũ cognitione præditus fuit, ad salutarem illam notitiam accedente.* Physica mentem attollit, & abducit à vano metu, aut admiratione rerum, estque superstitioni impedimento. In vinculis est animus, hæc nisi accesserit Philosophia. Hæc Libertas eius est, hæc euagatio: cùm se custodiæ in quâ tenetur, subducit & reficitur Cœlo. *Senec. ep. 65.* Quemadmodùm Artifices ex alicuius rei subtilioris intentione, quæ oculos defatigat, si malignum & non præclarũ Lumen habent, prodeunt in lucẽ: & in aliquâ regione ad Populi otium dedicatâ, oculos liberâ luce delectãt. Sic Animus in tristi & obscuro corporis domicilio clusus, quotiens potest apertum petit; & in rerum Naturæ contemplatione requiescit. Animam, Memoriam, & Intellectus rationem, id quo Homines sumus, quo à Bestiis differimus, nescire, non perscrutatum esse; non est humanum, sed brutum. Corporis ignorare constitutionem, Corporis vndè proueniant sensus, motus, requies, non indagâsse; non corporis animâ præditi, sed Animi Corporis sordibus submersi, proprium existit. Sapiens affectatorque Sapientiæ, adhæret quidem in corpore suo: at optimâ sui parte abest, & cogitationes ad sublimia intendit, perq; scalas rerum creatarum, ad Deum vsque ascendit. *Rob. Bellarmin. tract. de Ascens. Mentis in Deum.*

XXXII. Omnia ferè à Moysis (quoslibet qui memorantur Legislatores antiquitate præcedentis) Sapientiâ pendent: & tamen Vir ille summus, Diuinæque voluntatis Internuntius cum fide magnâ, necessarium ante omnia existimauit; vt qui vel vitam suam rectè disponere, vel aliis Leges ponere velit, imprimis non careat Naturæ cognitione: *Ioseph. in proœm. Antiquit. & 2. contra Appion.* atque ita consideratis Dei operibus, egregium illud Exemplar, quantùm in suis viribus est, imitari conetur. Indè non à pactis aut conuentis, & mutuo circa hæc Iure (alii quemadmodùm solent) Legislationem suam est auspicatus: verùm ad Deum & Mundum ab eo conditum erectos mente, & persuasos quòd pulcherrimum in terris Dei opus simus Homines;

D cùm

cùm iam ad Diuini Numinis reuerentiam haberet obsequenteis, facilè de reliquis omnibus edocuit deinceps. Zeleucus pariter, Locrensibus qui statuit Iura, Legibus suis vt viam muniret; iisdem Physicas quasdam præfixit quæstiones: *Oportere*, inquiebat, *eos quibus Vrbs vna incolenda sit, ante omnia opinari ac credere Deos esse: tum ad contemplandum Cœlum conuertere mentem, & tantum ornatum aduertere, ac singula quæq; iudicio & ratione discernendo; tantam molem, rerumq; tam consentaneam passim, speciosissimamq; varietatem; tam deniq; immensum, tamq; incomprehensibile officium, neq; incerto casu deduci, neq; vllo artificio, vel ope humanâ parari potuisse, colligere.* Vulgatum est apud Politicos axioma; omnium primò, qualis Natura Populi sit cui imperitatur, agnoscendum esse: nec de omnibus Rerumpublicarum Arcanis, vllum creditur maius; quàm ad varios gentium mores, & inclinationes, Ciuitatis cuiusque Leges, ac Reipub. formam, accommodare congruenter. Mores verò secundum Cœli plagas, & pro soli ingenio variari, Physicis est perspectum: & id Libro singulari sapienter, vt omnia, Magnus Hippocrates docet. Legislatorem propterea Physiologiæ, seu rationis Naturæ, haud ignarum esse conuenit. Suauissimam, imò & necessariam esse homini Sanitatem, nemo est qui nesciat: & tribus id verbis concinnè Galenus docet, cùm ait; *Vitam non esse viuere, sed valere.* Et verò si non modò in Vrbium, sed priuatorum quoque Ædificiorum constructionibus, Naturalis huius scientiæ placita haud negligerentur; sanitate forsan frueremur integriore. Politicus itaque ex Physicis discet, saniora illa Loca esse, quæ magis sunt septentrionalia, & Phæbo orienti exposita; vbi impendentium Montium altitudo, Solem arcet meridianum: Fontes maxumè salubres censeri, qui ab ortu defluunt in occasum. Hæc eadem Scientia, immisso fenestris nouis Aquilone, & obstructis pestilentibus; ianuâque permutatâ, & cæterâ eius generis diligentiâ; aliæ cùm domus ægrotis ac funeribus repletæ essent, se & vniuersam familiam incolumem seruare edocuit Varronem. Medicinam nō ineptè diuidit Aristoteles, in Naturalem; hoc est, ipsam nostram Physicam: & vsu arteque comparatam, quam nunc speciatim Medicinam vocitamus. Illa in opere, victu & aëre sita est: hæc in Medicamentis artificiosè docteque applicandis, consistit. Naturalis non tantùm Oeconomus & Paterfamiliâs; verùm & Magistratus quilibet diligens, exquisitam habere debet rationem: ille, quò familia

Diodor. Siculus lib. 12.

Bodin. 5. d. Rep. 1.

Libr. d. aëre & locis add. Arist. 7. pol. 7.

Varro 1. d. re Rust. c. 4.

Dispp. Basileens. disp. d. iure & priuil. Medicorum, à princ.

milia sit salua; hic, vt se quàm optimè habeat Ciuitas tota. Medicos priuatorum; Publicæ Sanitatis prouisores esse, Politicos decet. Omnia autem quæ ad Vrbis spectant salubritatem, de consilio à Medicis dato si quis instituere velit, nec in capiendis eiusmodi consultationibus, propriâ vti Prudentiâ sciat; si quis Politicum, Physicæ tamen rationis haud ignarum Iudicium, adhibere non possit; is certè Penelopes, quod est in Prouerbio, telam retexit: si modò ex veritate iudicat Hispanorum doctissimus Ludouicus Vi- ues; qui de Medicis ita censet. *Cùm eorum aliqui*, inquit, *de re quâpiam in commune consulunt, quâ malignitate, quo liuore id faciunt; quanto fastidio & vultuositate accipiunt alienam sententiam, quâ auctoritate atq; asseueratione proferunt suam; quâ pertinaciâ tuetur quisq; quod semel confirmauit, aut etiam elapsum est: ne cessisse videatur? suæ ipsorum Conscientiæ satisfacere se non putant, nisi si omninò victoriam aliis fecerint dubiam: cedere appellant vinci.* Keckerm. 1. polit. c. 8. & Disp. pract. 30. probl. 7. Ripa de Peste. c. 2. Libr. 5. d. causs. corrupt. art.

XXXIII. In ipso Iure Priuato, quamplurimi casus, satis liquidò nequeunt vel explicari, vel decidi; Physices ni in subsidiũ vocemus scientiam exactiorem. Physiologicis rationibus infinitæ resoluuntur Iuris dubitationes: quarum εἰ ἔστι ac διότι ad Physicos spectat. Omnis quæ de Magis, Sortilegis, & Lamiis suscipitur disputatio, maiori ex parte Physica est: & indè notat ac meritò carpit Martinus del-Rio Nicolaum Remigium, IC. Lotharingum: quòd de Dæmonolatriâ ac Sortilegii crimine, Naturalis Philosophiæ ignarus, singularem ediderit librum. An temporis ratione, septimo nimirùm vel vndecimo Mense editus Partus, legitimus sit nécne? quid de Superfœtatione debeat iudicari? ex Physicorum suffragio pendet: & de hisce controuersiis cùm agunt, Hippocratem laudant nostri ICCti. Nec Septimestrem solum Partum, magnorum Medicorum auctoritate; verùm etiam ex ratione Pythagoræi numeri defendit Iulius Paullus. De multitudine ac numero Partuum, disputat ex Aristotele Iulianus. Iureconsultis etiam disserendum est de Cæsareo partu, & iis qui extrahuntur secto ventre: dicendum est iisdem de contagione quæ Testes deterret. Ad Metallorum naturam respexerunt sæpiùs Iuris nostri conditores. Aurum, Argentum, Æs, Cretam, lapides, arenam & similia, in fructu esse, decidunt; Marmor non esse: quòd species istæ renascantur, Marmor non item. An partibus commutatis, res eadem existimetur, ex hâc Philosophiæ parte determinat Alfenus. Quæ de Redhi- Disqui. Magic. tom. 1. lib. 2. q. 10. l. 12. d. Stat. hom. l. 3. §. vlt. d. suis & legit. 4. sent. 8. §. 5. l. 36. d. solut. Val. Guil. Forster. i. d. Iur. Interp. c. vlt. n. 7. & latè Henr. Gebhard. d. Iur. Princip. concl. 14. l. 76. ff. d. Iudiciis.

bitione ſecundum Edictum Ædilium habentur; quò pertinent, niſi ad ſcientiam Naturalem? Quòd pertinenter Morbum definit, & accuratè diuidit Vlpianus; huic Arti ſoli conuenit acceptum ferre. De Virginitatis probatione fallaci, & diſſoluendo ex cauſſâ Frigiditatis matrimonio, quæ in Iure, à noſtriſque Interpretibus paſſim prodita ſunt; quis intelligat ſubtilitatum Naturalium non gnarus? De Abortionis poculo; & an Hominem occidere videatur, qui Abortum, ante quadrageſimum à conceptione diem procurat; de occiſorum Cadauerum Cruentatione, rebuſque ſimilibus; ſteriles & ineptæ ſunt diſſertationes, abſque Phyſices fœcunditate.

l.1.§.7.l.4.§.vlt.l.5.d.Æd.Edict.

XXXIV. Mathematicas diſciplinas, Arithmeticam præſertim & Geometriam, Veteres à teneris ediſcebant. Hæ non ſaltem vt cæteræ Artes, cùm perceptæ ſunt; ſed magis cùm diſcuntur proſunt: agitantur indè Animi & acuuntur, Ingenia veniunt ad celeritatem percipiendi. Hæ ex Prioribus inſequentia probantes, ex certis iudicantes de incertis; Veteribus quondam Dialectices ſupplebant vicem. Has τῆς φιλοσοφίας λαβὰς appellabant: harum ſcientiarum Studiis exculti, ad perſpicienda demùm Mundi opera, Naturæque principia accedebant Pythagoræi. Illarum expers nemo Platonis ſcholam ingredi audebat. Per has fores atriis Medicinæ pedem inferentes, Fernelius, Fracaſtorius, Heurnius, Duncanus Litelius Scotus, Medici nobiliſſimi euaſerunt. Nomine ſignare poſſem Theologos, mõſtrare liceret ICCtos, qui quòd alios ingenii acumine ſuperant, perſpicuitate in docendo vincunt, Iudicii quòd dexteritate longè aliis excellunt; hoc ad Mathematicas diſciplinas aſſiduò applicatæ adſcribo occupationi. Hocque tuam, MATTHIA HAFENREFFERE, ſedulitatem ingenioſam; tuam, DAVID MAGIRE, exquiſitam Prudẽtiam, id quod dico teſtatum facere poſſe, nullus mihi inficiabitur qui vos penitiùs nôrit. Nec acuendis modò Animis ſtudia illa conferunt: ſed & appoſitiſſima ſunt metandis caſtris, ac Vrbibus, & ad totam rem Militarem. Europæ Ocellus Belgium eſt; Belgii pupilla Mauritius Auraici Princeps: Martis quòd is pullus, aut potius Nearius eſt, ſeu Mars nouus,

Quintil.1.c.10.

Agell.1.cap.5.

Plutarch. in Marcello, vbi de Archimede.

Satyr. Euphormion.

Inuictus Poliorceta, inuictuſq; Strategus,

non hoc Geometria & Arithmetica; ſed nec ſine eruditohoc puluere, ſolers & artificioſa efficere potuiſſet Natura. Inclutus ille Heros,

ros, non Maranos solùm icit & vicit; verùm etiam pro Mathesi aduersus ineruditos depugnat. Præceptores is superat, Magistros omnes docet, & nouis adinuentionibus, Seculum nostrum felicius reddit. Portuum inuestigandorum rationem, Magnetisque ignotam hactenus declinationem aperit. Subducendarum rationum ingeniosam peritiam, Negotiatoribus ad hunc diem peculiarem, Aulis ac Reipub. inferre conatur; & Principibus, qui mali Ratiocinatores, addendo reducendoque, quæ Reliqui summa fiat, in fundo demùm vident, illustri prælucere satagit exemplo. Talium certè Disciplinarum vtilitas in Postprincipiis existit; cùm perfectæ sunt, atque absolutæ: in principiis nempè ineptę videntur & insuaues; didicitæ incredibiliter iuuant atque delectant. *Hugo Grotius lib. sing. d. port. inuestig. rat.* *Sim. Steuin. es memoir. Mathem.* *Agell. 16. c. 18.*

XXXV. Numerorum cognitio, Dimensionisque disciplina, singulis penè Artibus necessaria est; hâc ferè singulis quibusque horis vtimur. Eam igitur ignorare, hebetis est ingenii, vel negligentiæ omninò manifestæ. Plato interrogatus, cur homo animal sapientissimum esset; respondisse fertur: quia nouerit Numerare. Insipientissimus ideò erit homo, hoc qui non sciat. Aristippus naufragio eiectus, mox cùm figuras Mathematicas in arenâ depictas vidit: Salua, inquit, res est; Hominum vestigia conspicio. Ergò non ab hominibus incoli eam terram argumentatus fuisset, talia si Schemata haud vllibi comparuissent. Nihil in vitâ ritè fieri, probè nil administrari potest, Analogia nisi seruetur; de quâ considerant hæ Disciplinæ. Ex earum proinde fontibus, Iustitiam particularem, in Commutatiuam & Distributiuam, secundum Arithmeticam & Geometricam proportionem, dispescunt Ethici: & de Proportionibus in Scholâ Politicâ, quamplurima proponuntur. *Tileman. 1. disp. 1. Th. 40.*

XXXVI. Artem Geometriæ exerceri atque disci, publicè interesse; Diocletianus & Maximinianus Imperatores rescripserunt. Hæc quàm necessaria sit Iurisprudenti, is demùm viderit benè, qui Fines agrorum tueri, de quibus magna sæpè controuersia est; qui Insulas diuidere; Fructus arboris in confinio natæ partiri; totum Vas ex dolii fragmento æstimare: qui hæc omnia Iureconsulti esse, ex Legibus eò spectantibus cognôrit. Geometriæ scientiam in Iureconsulto requiri, Bartolus perspexit; & ideò de Tyberiadis Insulâ, Geometricum planè edidit tractatum. Verùm artis huius Fundamenta nesciens; à Geometricâ doctrinâ multa is protulit aliena. Lineam tribus modis rectam esse posse, ait; primò per *l. 2. C. d. Mathem.* *Forster. d. Iur. Interp. lib. 1. cap. ult. n. 3.*

se; secundò alterius Lineæ respectu; tertiò alterius Puncti ratione. Perpendicularem Lineam, in angulum quemlibet duci posse, cùm temerè effutit; ἀνυθέτητ☉, quod aiunt, νυθετεῖ. Arithmetices beneficio, Hereditates aptè herciscuntur Iureconsulti: huius manuductione, Africani de vsuris pendente conditione perceptis, explicari sententia potest; & Vlpiani de impensis deducendis, cùm diuiduntur fructus inter maritum & vxorem; aliaq; aliorum Responsa compluria: quæ non dicam imperitus; sed ne mediocris quidem in Arithmeticâ artifex dissoluet. Quin & ipsos excidio Regnorum fataliter destinatos terminos, Numeris peruestigabat doctissimus Plato.

Mercerius. l. of in. c. 4.

XXXVII. Deus Optimus Maximus

Os homini sublime dedit, Cœlumq; tueri:

huic Priuilegio renunciant, & cum Animantibus cæteris proni terram aspiciunt, qui Cœlum vident, & corporum Cœlestiũ summam varietatem; in diuersissimoque motu Æquabilitatem maximam non suspiciunt, non admirantur. Stupidi sunt qui admirantur, nec talium rerum flagrare mox incipiunt cognitionis amore. Et audacter cum Saraceno quodam dicimus: *Qui Deum negat, & Prouidentiam eius in omnibus rebus; maximè verò in admirandâ illâ Astrorum volutatione non videt: non caret modò mente, sed & sensu.* Diuinè Seneca: *Vetas me Cœlo interesse: id est, iubes me viuere capite demisso? Maior sum & ad maiora genitus.* Omnia profectò, qui se à Cœlestibus rebus referet ad humanas, excelsiùs magnificentiusq; & dicet & sentiet: adeò cogitationes hæ, vitæ humilis sordes abstergent. Consideratio Cœlestium rerum, Virtutibus, & exemplũ & incrementum suppeditat abundè. Ex ordinis, moderationisque Cœlestium intuitu, modestiam discimus. De Iustitiâ itidem erudimur; intelligentes summi Rectoris Dominique Numen, consilium atque voluntatem: cuius ad Naturam aptam rationem, vera illa & summa Lex, à Philosophis olim dicebatur. Hæc itidem nos contemplatio, ad nostri ipsius deducit familiaritatem & cognitionem. Nam cùm intuemur immensam hanc molem, quæ circùm supraque, suo nos complexu tegit; & in eâ, speciosa Siderum corpora, inordinatâ, vt putamus, serie, perpetuo & indefesso ambitu, certos emetiri cursus, perpendimus; initâ comparatione, tenuitatis nostræ rationem colligimus: simulq; Æternitatis opinio, Diuinorum admiratio, & Numinis suboritur formido, contemptusq;

Auicenna.

Epist. 91.

M. Antonin. Imp. d. vita sua, lib. 7. n. 7.

Val. VVeigel. vom Ort der Welt. c. 1. & 2.

ptusq; horum Inferiorum. Sic *Cœli enarrant gloriam DEI fortis, & opus manuum eius, indicat expansum eorum.* Sic *Sol ad aspectum nunciat de glorioso Deo. Magnus est Dominus qui fecit illum, & Sermonibus suis festinauit iter illius. Attollite in sublime Oculos vestros, & videte quis creauerit ista: producens numero suo Exercitum ipsorum. Magna sunt opera Iehouæ, exposita omnibus qui delectantur illis.* Nil est Cœlum & totius Naturæ decor aliud, quàm Speculum quoddam, in quo summi Opificis Magisterium relúcet. Verè illustris DEI fama in Arte hâc sparsa, producenda est, non reprimenda. Ad quem eundem finem, etiam in Physicis dissertationibus Galenus collimauit. Qui cùm in Libris, quos de vsu partium corporis humani scripsit, admirabilia quæ in iis sunt partibus secreta retexisset; hoc illos commemorando obsignauit Dicto: *Videmur nobis,* inquiens, *elegantem Hymnum in Laudem DEI cecinisse.* Non solùm ingratus (quod ipsum est grauissimum) sed & impius rectè appellatur, eam qui negligit Philosophiæ partem, à cognitione Mirabilium DEI quæ nos reddit instructiores. Deum non veneratur, illam qui spernere audet. Sententiam iterum rogemus Galenum; *A nobis,* inquiet, *hunc maximè cultum exigit Deus, non vt Hecatombas taurorum ipsi sacrificemus: sed vt omnibus notum faciamus, quanta eius potentia, sapientia, bonitas.* Quod & innuit Trismegistus, cùm inquit: *Ego, ô Fili, & humanitatis gratiâ, & erga Deum pietatis, hoc conscribo. Nulla enim fuerit iustior pietas, quàm intelligere entia, & gratiam factori, de eis confiteri. Pius esto, ô Fili: qui verò pius est, summè Philosophatur. Namq; sine Philosophiâ, summè pium esse impossibile est. Sed qui discit qualia sint entia, & quomodo sint disposita, & à quo, & cuius gratiâ; Conditori, vt Patri bono, & Nutritio fido, gratias habebit. Qui verò pius est, sciet vbi sit veritas, & quænam sit illa? & sciens, etiam magis erit pius. Vehementem enim amorem habet, & obliuiscitur omnium malorum Anima, quæ didicerit suum Auctorem.* Atqui vndè hæc Cognitio, cuius suauitatem aliis impertire debeamus? Respondet Cicero: *Deum ex Operibus eius agnoscimus.* Respondet Plutarchus: *Sol, Luna, Stellæ, Specula sunt, in quibus artem illius singulàrem intueamur, qui Mundum condidit & ornauit. Et profectò notitiam Dei, inde magnoperè capimus.* Adstipulatur Siracides, & ait: *Effudit Sapientiam suam, super omnia opera sua, Creator rerum omnium, Dominator Deus.* Præclarissimè loquitur Ludouicus Granatensis. *Vniuersus Orbis elatâ voce clamitat: Aspice quanto te Dominus*

Psal. 19. *Sirac. 43.* *Esai. 40.* *Psal. 111.* *Ioh. Arndt, lib. 4. vom wahren Christenth. per tot.* *in Poemandr. à pr.* *1. Tuscul.* *de Iside.* *d. placit. Philos.* *Sirac. 1.* *In Florib. part. 1. c. 8.*

minus & Creator meus amore prosequatur; qui me amore tui creauit: & voluit vt ego tibi seruirem, & tu vicissim seruires illi, qui me tibi, & te sibi creauit. Hæ sunt, ô homo, voces omnium Creaturarum. Attende nunc, nullam esse tam iniquam surditatem, quàm audire voces istas, & esse tantis beneficiis ingratum. Veruntamen, vt ante lapsum, omnia creata, Benignam Numinis similitudinem magis adumbrabant: ita nunc eiusdem in peccata maxumè infesti, vindicisque seueri effigiem ex vero simul repræsentant.

Du Bartas. au i. iour de la 2. sepmaine. §. Furies.

—— l'homme triste ne treuue
Plante, pierre, animal, iardin, bocage, fleuue,
Campaigne, mont, valon, mer, riuage, ni port;
Qui n'ait escrit au front l'arrest dur de sa mort.
Et bref tout le pourpris de la ronde machine,
Est vn vray magazin de la fureur Diuine.

Rubrica prætereà, de Mathematicis & Maleficis in Codice Iustinianæo, peruersè intelligitur, sine peritiâ verioris Mathematices & Astronomiæ; interdictæ quæ Astrologiæ edocet vanitatē. Quid Hora sit, quid Dies, quid inter naturalem & ciuilem Diem intersit; quid Mensis, præsertim intercalaris, quid Annus, & Annus bissextilis? absque Astronomicorum principiorum adminiculo, intelligi nullatenùs potest. Manifestum est Geographiæ intelligentiam, Politico necessariam esse: illa verò absque Astronomiæ cognitione, haud vllâ diligentiâ comparatur. Et itaq; Astrorum scientiâ carere nequimus.

l. 2 §. 1. l. 98. l. 132. & seqq. l. 156. d. V. S. l. 8 d. Ferii. l. 5. §. 1. Quod vi aut clam. l. 3. §. 3. d. minor.

XXXVIII. Sed hæc quæ diximus hactenùs, ad eum Finem omnia tendunt, vt omnes qui Iuris studio operā daturi sunt, perspiciant omninò: Rationalem Philosophiam, in addiscendâ & exercendâ Iurisprudentiâ necessariam; Theoreticam multifariàm subsidio, & vbique ornamento insigni esse. Moralis nunc Sapientia succedit, quæ Practica vocatur. Hæc ab Auctoribus καθ' ἐξοχὴν Philosophia indigitatur: quatenus in eâ vis Philosophiæ continetur tota, & ea Philosophiæ pars ita nobilis ac eximia habetur, vt meritò nomen sibi vendicet totius. Quid enim aliud propriè est Philosophia, ἢ τῶν τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστημάτων καὶ παθῶν φάρμακον; *quàm Animi morborum & affectionum Medicina?* Hanc vnam Philosophiæ partem, Scientiam Stoici nominârunt: Musarum cultum, & vniuersè Artes Liberales quas dicimus, ἐπιτηδεύματα (Studia) appellantes; quòd de iis Sapiens disserat, vt verisimilia, non vt

Plutar. d. instit. puer.

censeat

censeat vera. Cùm multa Sapiens cogitet & disserat de rebus superis inferisque, in quibus comprehensio haud est certa; de Stellis, earumque motu, de Cometis, de Fulminibus, Grandine, & tripartitâ Aëris regione; in quibus ἐποχῇ vtitur, & sustinet assentiri. Socratem scribit Cicero, hâc de caussâ ab Apolline sapientissimum fuisse iudicatum; quòd primus à rebus occultis, & à naturâ ipsâ inuolutis Philosophiam auocârit, & ad vitam communem adduxerit: ac quæsiêrit de Virtutibus & Vitiis, omninoque de bonis & malis rebus. Non enim is de rerum omnium Naturâ sic disserebat, vt complures alii; qui se Humana iã satis intelligere rati, ad Sublimiorum tractationem accedunt: vel relictis rebus Humanis, Diuinas contemplantes, quæ sui essent officii se facere putant. Sed ipse de rebus Humanis disputabat semper: quid Pium esset, quid Impium considerabat; quid Honestum, quid Turpe, quid Iustum quid Iniustum perpendebat; quid Mentis sanitas, quid insania, quid fortitudo, quid ignauia perscrutabatur; quid Ciuitas, quid rerum ciuilium peritus; quid Imperium in homines, quid hominibus Imperandi peritus. itemque de rebus cęteris disserebat, quarum cognitione instructos, probos atque honestos viros esse arbitrabatur; qui autem eas ignorarent, mancipia meritò vocari. Volo vt despiciat, pro nihilo putet, infra se ducat, non curet, & prę hâc Philosophiâ omnia alia studia Sapiens contemnat: ea modò didicerit priùs; hæc modò Despicientia, non proueniat ex inscitiâ Literarum. Hæc etenim scientia quoque est, scire quid ignores. Doctam hanc Ignorantiam, summam esse Sapientiam decerno. Artium illa amœniora, animum expediunt non perficiunt: Sapientiam non habent, sed conferunt ad habendam. Sola hæc ad Virtutes perducit; hoc est, necessariam vtilitatem, verumque studiorum monstrat finem. Illo velut vomere proscindi hoc Animi solum, & præparari ad sementem cupimus: sed prępararі, non impediri suademus. Veræ grauidæque Fruges, Moralis hæc est Philosophia: cætera herbæ sunt, aut flores. Et concinnè Antiqui, Philosophiam triplicem, Agro assimilârunt: partem eius Physicam Arboribus, & Plantis; Ethicam Fructibus, quorum caussâ sunt plantæ; Logicam Sepi: quòd vt circumiectus murus, fructus plantasque in agro seruat; ingredi & irrumpere volentes arcet. Non obstant aliæ Disciplinæ, per illas euntibus, sed circa illas hærentibus: Rudimenta sint nostra, non Opera. Amemus has Literas, sed Sapientiæ caussâ;

Stobæus.

Xenophon 1. memorabil. Socrat.

Lips. 1. manud. ad Stoic. Phil. c. 1. & 2. VVouuer d. Polymath. c. 26. & 29.

Philo Iudæus, περὶ γεωργίας.

Quintil. 1. cap. 7.

Maxim. Tyr. diss. 15.
Gell. 5. c. 15. ad fin.

cui illæ debentur. Soli sermones qui operibus respondent, sunt optimi: soli boni, qui ad opera adhortantur. De aliis Ennianum Neoptolemum intelligo, cùm ait:

Philosophandum est paucis; nam omninò haud placet.

Epist. 106.
Tuscul. 2.

De hâc Seneca loquitur, cùm dicit; *Paucis opus est ad bonam mentem Literis.* De nostrâ verò si quæstio est Morali Doctrinâ, Romanæ Suadæ sententiam amplector: *Nil nisi Philosophandum, idq; sine modo; quia melius nil agere possumus.* Cum Socrate, Diis hominibusque adnuentibus singuli clamemus: *Quamdiu spirabo, viresq; mihi suppetent, Philosophari non desinam.* Vnica hæc est, quam neque Iuuenis differre, quâ nec Senex defatigari debet. Quòd si aliter facis; in Propedeumatibus si consenescis: Ecce, Epictetus qui te auocat & increpat. *Homo,* inquiens, *obliuio te cepit instituti tui? non hùc ibas, sed hâc. Atqui elegans hoc diuersorium? Quàm multa autem alia? Quot etiam horti aut prata? Sed non nisi vt transitus sint.* Præclarè Aristippus, qui cùm Iuuenes humanioribus Literis deditos, seueriorem vitæ Sophiæque partem negligere cerneret: Penelopis procis, aiebat, similes sunt; Polydoram & Melantho, ancillas ambiunt; ipsam Dominam quòd non arripiunt, seruulos se viles esse produnt. Scitè hoc Plutarchus: *Quosdam Philosophantium Auibus similes videri; qui leuitate quâdam & ambitione Ingenii elati, alta petunt, & Physica scrutantur tantùm. Alios Canibus, qui laniare & vellicare auidi, soli Logicæ adhærescunt, vt pelli; & in eâ rixantur, & mentem ad vlteriora non mittunt.* Ergò quasi per Triumphum hanc nostram ducamus Philosophiam; hanc ad Capitolium vsque, ad Iustitiæ illa veneranda Adyta comitemur; eique cum Cicerone acclamemus læti: *O vitæ Philosophia Dux, Virtutis indagatrix, expultrix Vitiorum, quid non modò nos, sed omninò hominum vita, sine te esse potuisset? Tu Vrbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti, tu inuentrix Legum, tu Magistra morum & disciplinæ fuisti. Ad te cõfugimus, à te opem petimus: tibi nos vt antea magnâ ex parte; sic nunc penitùs, totosq; tradidimus.*

Plato Apol. Socrat.
Laërt. in Vita.
De Profectu in Virtut.

XXXIX. Hæc autem Philosophia, in tres dispescitur partes: quarum prima Oeconomicæ nomen assumit; cuius notione nemo non abundare debet: & quam ex suffragio Solonis, is demùm tenere censetur; in cuius Familiâ Pecuniæ non iniustè possidentur, non difficulter custodiuntur, nec pœnitudinem afferunt propter sumptus. Disciplina hæc Iureconsulto itidem quàm plurimas

Stoba. serm. 83.

rimas

rimas regulas ſuppeditare videtur. Putà: Familiam non facere duos; Rei familiaris, vxorem quodammodò Dominam eſſe; Intereſſe noſtra, animos liberorum ſeruorumque noſtrorum non corrumpi; Viuente etiam Patre, Filios rerum paternarum propè Dominos; Rei ſuæ quemq; moderatorem & arbitrũ eſſe: & alia plura. Altera Philoſophiæ Practicæ pars, ipſa Politice, & Iuris habetur Prudentia. Ethice verò, quæ vitam & regimen conſiderat ſingulorum, atque à Moribus quos informat, generali Ethices, ſeu Moralis diſciplinæ cohoneſtatur appellatione; reliquarum Practicæ Philoſophiæ partium ſedes ac fundamentum reputatur, illarum prima æſtimatur officina. Connexa quippe ſunt; Mores regere, & Rem vel publicam vel domeſticam adminiſtrare. Conſentaneum eſt, priùs apud ſe Rationis Imperium ſtabiliri (in quo quidem Iuſtitiæ totius, ac Legum omnium ſumma conſiſtit) quàm Vxori, Liberis, ac Seruis, quàm Reipublicæ maxumè imperari poſſit. Verum & vulgatum Prouerbium eſt; *Vbi deſinit Ethicus, ibi incipere Iureconſultum.* Pariter nempè, vt Medicinam nemo apprehendit; niſi Phyſices iam antè cognitionem fuerit adeptus; ſine quâ omnis in eo ſtudio labor ſuperficiarius & inutilis eſt, ac Empeiricos tantùm, vel etiã Agyrtas & Circumforaneos parit. Quemadmodùm

Henr. Gebhard. concl. 20.

Fr. Piccolom. gradu 5. c. 38. ad fin.

Infamia ſunt naufragii apluſtria diri;
Sunt quiſquiliæ, cantio Salgamariorum;
Quaſi viſceribus, iudiciis hernia ruptis:
Quæ fert Medicus Philoſophi parùm renidens.

Scal. 3. epidorp.

Ita acephalus atque mancus eſt, fundo ac fundamento caret Iureconſultus, Ethices qui eſt notitiâ deſtitutus. Medicina nil aliud quàm copioſior rerum Naturalium; Iuriſprudentia autem, Morum & Legum expoſitio eſt, quâdam cum varietate. Ergò Methodi hoc expoſcente Lege ſacratâ, ſpecialia antequàm dogmata proponantur, ad Ciuitatis vel Domus quæ ſpectant adminiſtrationem magis exquiſitam; priùs de modo probè honeſteque viuendi, generatim vt diſputetur, de Virtutibus earumque actionibus, eiuſcemodi neceſſe eſt vt Præcepta præmittantur, quibus omnes vniuerſim, ad id quod Honeſtum & Laudabile eſt ſolummodò perſequendum, præmuniantur. Hæc etenim monita, Reipublicæ ac Familiarum ſeminaria primò præſtant: his Principiis neglectis, nil Leges proficere cenſuit Vetuſtas, non Regularum & Sanctionum ſuarum cauſſas Politicus eſt redditurus. Præpoſtero qui ordine,

Timpler. 1. Eth. c. 1. q. 8. Ioach. Stephan. c. 2. Demonſtrat. polit.

dine, mox ad altiora se confert; turrim Æsopicam in aëre sine solo ædificare, temerarius audet. Et hoc est quod scribit Franciscus Piccolomineus: *Quamuis in Libris de Republicâ & Legibus, condantur Leges, instituanturq; Magistratus: recta tamen ratio illarum, horumq; constituendorum, ad libros de Moribus spectat. Ita vt iure partem illam absolutè Ciuilem, Aristoteles appellet: & summum bonum in eâ declaratum, pertinere dicat ad disciplinam, quæ Princeps & Regia sit cæterarum.*

Piccolom. grad. 5. c. 37.

XL. Vniuersalem Iustitiam, Virtutis omnis quasi quoddam receptaculum esse, iam suprà in huius Dissertationis Proëmio, dictum fuit. Hæc tot partes habet, quot sunt Virtutes;

Theognis.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶς ἀρετή ἐστι.

Iustitia in sese Virtutes continent omnes.

Timpler. 3. Eth. cap. 10. quæst. 4. & vid. eund. quæst. 8.

Nihil hæc aliud quàm in omnibus consiliis, dictis, & factis, rectitudo quædam & integritas est: quam ideo ἀγαθότητα vocare maluit Philo. Hanc à Virtute Morali, non realiter; sed diuersâ tantùm appellatione differre statuunt. Et eam idcircò Aristoteles, Dominam Virtutum omnium ac Reginam appellat: quòd ex eâ Boni Viri, absolutè simpliciterque nominentur. Vniuersalis hæcce Iustitia, cùm Iureconsulti sit Finis; ad quam, quia Leges & Consuetudines, tanquàm ad scopum sunt dirigendæ; huius in Republicâ conseruandæ ac tuendæ caussâ, cùm deliberationes, actionesque ciuiles suscipiantur vniuersæ: hanc eandem propter rationem, cùm tria Iuris Præcepta, hoc est, siue Effecta, siue Limites præscribantur; *honeste viuere, alterum non lædere, Ius suum cuiq; tribuere*; Vniuersam quæ Virtutem, non saltem vnam atque alteram speciem vrgent, omnia quæ Virtutum omnium officia complectuntur. Honestè namq; viuit, non modò alterum qui non lædit, aut suum cuique tribuit; sed &, qui licèt solus sit, Virtutis tamen ex præscripto instituit vitam. Omninò propterea necessarium est, eâ vt Philosophiæ partem, quæ de præclaris hominum Virtutibus, honestisque actionibus pertractat, perspectam penitùs habeat Iureconsultus. Quomodò enim is vitam agere Virtuti conuenientem, quomodò alios deducere poterit ad Virtutem; qui ipse quid Virtus sit ignoret? Quis absq; Virtutum intelligentiâ perquàm exactâ, Probitatem à Vitiositate discernet? Præsertim quia hodiè,

Gebhard. concl. 2. n. 7. &c. adde Keckerm. disp. pract. 23. probl. 6. & probl. 8. ac 21.

Mercer. 2. opin. 2. Enucleator Donell. 2. c. L. G.

Gothofr. ad l. 10. d. Iustit. & Iur.

De Ethica Iureconsulto necessaria latiss. Gebhardi, concl. 16. vsq; 20.

Mala sunt vicina Bonis, errore sub illo
Pro Vitio Virtus crimina sæpè tulit.

Etiam

Etiam nomina perdidimus Vitiorum, quibus cum Virtute est aliqua similitudo. Nunc in Aulis maximè, sub Fortitudinis laruâ, vel Audacia inhumana, vel Thrasonica Iactantia colitur atq; obseruatur: sub Affabilitatis & Obedientiæ personâ, Adulatio fœda; sub vmbrâ Magnificentiæ, Fastus & Reputatio vana; sub specię Boni Publici, Priuatæ latent Cupiditates. Crudelitas inducitur nomine Zeli, Indulgentia Pietatis: Tenacitas erga benemerentes Parsimonia est; profusio effluens in indignos, Liberalitas deprædicatur. Pompam hanc Laruatorum nudat, atque disturbat Ethice nostra. Ea æstimare singula docet, famâ remotâ: quærere hortatur, quid sint? non, quid vocentur? Nunquàm qui Scopum non benè & acriùs videt, iaculando collimabit: sic haud vnquàm vacuus absolutâ scientiâ Virtutum, Finem nanciscetur Iureconsulti. Si Finis in actionibus Principium est; perindeque fuerit de mediis disputare, certo sine præsupposito fine, atque ventis vela dare, ad nullum directa portum: quod alicubi Seneca scribit. Ethica sanè ante Iurisprudentiam discenda erit, quæ de Fine disquirit nostræ Philosophiæ; de summo illo Ciuili & Politiarum quæ differit Bono: cuius definitione omnem vitæ nostræ rationem comprehendi, appositissimè quodam in loco Cicero scribit.

Senec. epi. 96.

Fr. Furius Ceriolan. de Consiliar. c. 2. n. 5.

Epist. 71.

XLI. Nemo miretur, nullam esse de Morali Philosophiâ, apud quosdam Iureconsultos mentionem; horum nempè iudicio

——— quærenda Pecunia primùm est:
Virtus post Numos. ———
Protinùs ad censum, de Moribus vltima fiet
Quæstio. ———

Hi rem sanctissimam & incorruptissimam, quæ pretio numario æstimanda non sit, Auaritiâ sordidâ dehonestant: qui Iasones & Argonautæ videntur; non ad Astræam, verùm ad Medæam & Auream nauigant Pecudem. *Qui*, vt Ammianus Marcellinus inquit; *nec fas vllum præ oculis habent; sed tanquàm Auaritiæ venundati & vsu capti; nil præter inseminatam petendi Licentiam nôrunt.* Fuerunt magni nominis Iureconsulti, qui semper Moralem hanc nostram irriserunt Philosophiam; Ethicen nil commune cum Iuris arte habere iactitabant; quia ipsi sine hâc sciẽtiâ acquisiuerant Iurisperiti famam. Atqui haud rarò exitus rei iudicauit, non illos veriori Iurisprudentiâ; sed litigandi quâdam argutiâ, Cautelarumq; acumine inter cæteros excelluisse; non à Morali Philosophiâ, sed ab

 omnibus

omnibus Moribus bonis & integris, animum quàm alienissimum habuisse. In quos dicere possumus, quod in vafrum Iuris Cauillatorem Antonius Fayus:

In Embl. & Epigram. f. 208.

Te Iuris vocitas palàm peritum;
Te Legum velut alterum parentem,
Iactas cuncta tuo sinu tenere
Prudentum Veterum notata chartis,
Nec non Cæsaribus statuta priscis;
Te nodos, apices, vafros cauillos,
Subtilesq; plagas Fori dolosi,
Ceu dextræ digitos notasse dicis:
O si Iustitiæ peritus esses!

Iustinian. Const. d. modo studendi.

Oportere priùs Animo, & posteà Linguâ fieri doctos, rectè constituit noster Imperator. Imitare debemus omnes Placentinum (qui primus Iuris professionem in Galliam propagauit, & Irnerii discipulus fuit) cuius tale Epitaphium adhuc hodiè in Montepessulo extat. *Iura Pontificia ac Cæsarea Placentinus præclarè docuit: lites placauit etiam dubias; & secundum eadem Iura iustè vixit.* Quem non hodiè, cùm intuetur seruiles & viles quorundam Animos, qui Iureconsultos se profitentur; de generis nostræ pudeat vanitatis? multò verò magis, quoties contulerit, illos quorum scientiam profitemur, Veteres Prudentes; quorum tamen verè Philosophici Animi negligimus robur. Hi cùm Responsa dabant de Iure, ex Tripode Oracula reddere videbantur: cumque ad tuendas Respublicas assurgebant; Cœlesti quodam velut classico erecti stabant, infractis Animis aduersus molem omnium difficultatum: vt vel ipsi Tyranni horum Constantiâ terrerentur. Sic Iulius Cæsar, Seruium Sulpitium solum & inermem, victor & armatus habuit aduersarium suæ Dominationis. Sic Caracalla faciliùs vitam eripuit Papiniano, quàm vocem Imperatorii sceleris patronam potuit extorquere. Sic Nero Cassium Longinum, pro Republicâ dimicantem exhorruit. Tyberius Neruam, Cæsareæ Tyrannidis inimicũ reuereri coactus fuit. Heliogabalus Vlpianum & Fabium Sabinum, suæ sensit Libidini aduersantes.

Valent. Forster. histor. Iur. lib. 3. f. m. 613.

Marcell. Lyclema Orat. d. dignit. Profess. Iurispr.

XLII. Sed nunc alterum Moralis Philosophiæ percipite vsum. Non semper Leges laudat Iureconsultus; quandoque sufficit, dictorum fidem ex ipsâ Naturali Ratione firmari. Æquitatis & honestatis temperatione, Ius scriptum viget. Non quid liceat, quàm

l. 13. §. 7. d. excus. tut. vbi Bl. & Gothofr.

quàm quid deceat est spectandum. Cicero pro Corn. Balbo: *Est,* inquit, *aliquid, quòd non oportet, etiamsi liceat. Non quicquid licet, id etiam Honestum est: imò verò plerumq; non oportet.* Idem pro Rabirio. *Hic,* ait, *Iudices vestri consilii res est, vestræ sapientiæ: quid deceat vos; non quantùm liceat vobis, spectare debetis. Vbi est igitur Sapientia Iudicis? in hoc: vt non solùm quid possit; sed etiam quid debeat, ponderet:* l.144. in pr. d. R. I.

—— mentemq; domet respectus Honesti.

Quædam honestè conceduntur, quæ non honestè petuntur: In honesta ne petantur, hæc nostra Philosophia docet. Quid Honestum decensque sit, ex Virtutum discimus collatione. Æquitas ex Naturâ & rectâ æstimatur Ratione; quam Ethice erudit. Ea notitiam Legis Naturæ continet, Iusque illud tradit, cui non soli Ciues; sed homines omnes omnium ætatum & locorum conuenit obtemperare. Hæc de iusto illo Philosophico tractat; quod est hominum plurimorum, non scripta, sed Menti adgnata consuetudo, determinans turpia ac honesta. Hancque intellexit Aristoteles, cùm rogatus, quid ex Philosophiâ lucratus esset? respondit: Hoc, vt iniussus faciam, quæ plerique Legum metu obseruant. Ad eandem allusit Aristippus; qui interrogatus, quid præ reliquis eximium Philosophi haberent? Quòd, si omnes, inquit, Leges pereant, eodem modo viuemus. *Arist. Rhet. ad Alex. c. 2.*

XLIII. Nimis pessimè sentiunt de Iuris arte, qui eam circa Fortunæ tantùm Bona autumant esse occupatam. Non, vt multi sibi persuasum habent; Lites solùm ordinat, & Hereditates ritè distribuit, Contractusque Iurisprudentia discernit. Vniuersam ea Rempublicam; quâ in rerum Naturâ nil augustius est, administrat: licitum ab illicito separat; Bonos non solùm metu Pœnarum, verùm etiam Præmiorum exhortatione efficere cupit: & multiplicibus Sanctionibus, mediisque accommodis aliis, ad Politicam dirigit Felicitatem. Hanc sanè Artem, non ex nudâ Legum, Senatusconsultorum, Edictorum, Constitutionumque notitiâ haurimus: neque enim rectè Iureconsulto datur pro subiecto, Ius siue Romanum, siue Gallicum, aut Anglicanum. Quemadmodùm Philosophia non est Aristotelismus, aut Platonismus: sed studium Sapientiæ & Veritatis. Ita nostra Philosophia Iustinianismus haut est; sed Ars æqui bonique. Nulla profectò tam magna Sapientia est, ex scriptis Legibus nosse quæ iusta; quæque minùs *Alber. Gentil. i. d. Nupt. c. 8. & 11.*

iusta sunt cognita habere:nec ea de quibus Leges loquuntur intelligere,in labore multo positum esse videtur. Et de ieiunâ hâc Legum prudentiâ,Cicero est subaudiendus,cùm caussæ suæ seruiens; *Ius Ciuile tribus diebus perdisci posse*, in Oratione pro Muræna scribit. Vt & hodiè quamplurimi, proiectæ Liticulæ telam vbi texere & retexere nôrunt, confestim Themidos se somniant alumnos; insomnio prorsùs febrili. At Legum ferendarum, Iuris dicundi, aut de eo respondendi,Publicum obire munus; ipsius deniq; Reipublicæ vniuersæ,constanter,peritè & fortiter gerendæ; Iuris cuique Publicè priuatimque tribuendi scire rationem:vtilitatis vitæque communis ritè vincula nectere;

Hoc opus, hic labor est. ——

Summæ huius Sapientiæ, abstrusam atque reconditam scientiam esse,eos demùm maxumè intelligere puto;qui vulgatam Iuris peritiam,ad Rempublicam cùm accesserint, parùm sibi prodesse experiuntur,&(quod scio)grauiter conqueruntur. Quamuis enim à Naturali Ratione, fontes eius promanent, & Iuris Commentatorum numerus existat infinitus; ob idque eius perceptio & exercitatio,in procliui & communis esse videatur: haut tamen nisi ab hominibus,aut aliquâ Diuinâ Naturâ præditis;aut in omni genere Virtutum Studiorumque exercitatis, rectè omninò percipi, vel certo Iudicio exerceri potest. Doctum & Sapientem auditorem, qui non casu,non Fortunâ,haud inuitus; verùm consilio, ratione, constantiâ,Iustitiam vltrò perpetuoque colat; vera nostra, non simulata requirit Philosophia.

Artis seueræ si quis amat effectus,
Mentemq; magnis applicat; priùs more
Frugalitatis Lege polleat exactâ:
Nec curet alto Regiam trucem vultu,
Cliensq; cœnas impotentium captet:
Nec perditis addictus. ——
His animum succinge Bonis. ——

Disciplinam nostram in verbis qui consistere putat, aut in venali Linguâ;is,vt est in Prouerbio, primùm quidem viam in Forum ignorat,neque Iudicium,aut Concilium Ciuitatis aliud vbi sit,nouit. Factis ea exprimenda est,firmitate Animi,Affectuum imminutione:& peritiâ rerum Diuinarum atque Humanarum. Ad quã nos sublimitatem Socratica hæcce Sapientia ducit, & Thesæum

ſuggerit filum: dum docet, quid Patriæ, quid Parentibus debeamus, quis ſit parendi, quis imperandi modus; qui fines Officiorum, quæ præcepta ſocietatum, quæ extrema omnium actionum? Ex generalibus illis cordatiorum Philoſophorum decretis, Politice conſtruitur, & ſolidior Iuriſprudentia noſtra: cùm æquitati Iuris naturalis, pro vtilitate Ciuitatis aliquid detrahitur; & principia per ſe immutabilia, varietatem facientibus rebus, pro adiunctorum diuerſitate variantur. Nil facit Iureconſultus, quàm quòd Philoſophiam ſeu Iuſtitiam vniuerſalem in Ciuitatem introducit; ſed Statui & vtilitati accommodatam. Ratio verò Status; rurſùs Ethicæ, ſeu Iuſtitiæ & Honeſtatis limâ poliri debet. Quo ſenſu Ius Ciuile Cicero definit: *Æquitatem conſtitutam iis, qui eiuſdem ſunt Ciuitatis, ad res ſuas obtinendas.* Hinc dicitur; Iuri Naturali parere debere omnes homines: Ciuili Ciues. Et hanc Notam eſſe ſecernentem à Iuridicis Moralia præcepta; à Philoſopho Iureconſultum: qui Ciuis eſt in magnâ hâc, & ſuâ Vrbe, id eſt, Mundo. Et hæc tandem omnia, concinnâ Ciceronis ſententiâ obſigno, qui ait: *Nullo in genere diſputationis ſic patefieri Honeſta; quid ſit homini Naturâ tributum, quantam vim rerum optimarum Mens humana contineat, cuius muneris colendi, efficiendiq; cauſſâ nati, & in lucem editi ſimus: quæ ſit coniunctio hominũ, quæ naturalis ſocietas inter ipſos? His enim explicatis, fons Legum & Iuris inueniri poteſt. Non ergò à Prætoris Edicto, vt pleriq; nunc, neq; à 12. Tabulis, vt ſuperiores: ſed penitùs ex intimâ Philoſophiâ, haurienda Iuris Diſciplina eſt. Non enim id quærimus ſermone hoc, quemadmodùm caueamus in Iure, aut quid de quâq; conſultatione reſpondeamus (ſit iſta res magna ſicut eſt) ſed complectenda in hâc diſputatione, tota cauſſa vniuerſi Iuris eſt, ac Legum: vt hoc Ciuile quod dicimus, in paruum quendam & anguſtum locum concludatur Naturæ. Qui aliter Ius Ciuile tradunt; nõ tam Iuſtitiæ, quàm Litigandi tradunt vias.* Et hi etiam non operæ compendium; ſed artis noſtræ multiformes & obſcuras affectant ambages: namq;

Iuris iter longum, Iuſtitiæq; breue eſt.

[Marginal notes: *l. 31. à pr. ff. depoſ. Ciſner. orat. d. orig. Iur. fol. 527.* — *in Topic.* — *1. de legib.* — *Ovvenus.*]

XLIV. Verùm enimuerò, hanc quæ de Moribus eſt Philoſophiam; de quâ tot ac tanta profitemur, liberaliſſimeque pollicemur: non ſanè ex vno atque altero haurire Compendio licet. Nec, vt ſciamus quid ſit Virtus, ſcrutandum magis: quàm vt Boni efficiamur ſtudendum erit. Ad Virtutum acquiſitionem, magis quàm diſputationem, omnis referri Scientia debet. Et quamuis

nostro Seculo, in omnibus Philosophiæ partibus, Peripateticorum maxumè Dogmata approbentur; super iisque non dubitent, vel Iouem lapidem iurare eorum Sectatores. Non Sapientem solùm supra Græciæ Septemuiros, Octauum accessisse Aristotelem putant: sed hunc vnicum esse Sapientem; eius doctrinam summam esse Veritatem; hunc Diuinâ Prouidentiâ autumant esse datum, atque creatum, vt sciremus quicquid potest sciri. At cur ipsi in hoc procinctu vni debeat esse locus, haud equidem perspicere queo. Signifer ille esto; commilitent alii: & quemadmodùm in vnâ Legione, non vnus saltem est Centurio aut Tribunus; sic & in Opinionum nonnullâ varietate, omnes tamen pro Sapientiâ, & sub eâ pugnent. In Ciuili præsertim & Morali eius parte (de quâ nunc nobis est sermo) non ille à Lycæo indignetur Stoicos sibi apponi; imò forsan nec præponi: in arduâ potiùs & acri militiâ, sibi velut Optiones adiungi gaudeat, quos Disciplinæ Sanctimoniâ, rigidâ illâ & Virili Sapientiâ, generosique Honesti amore, inter omnes excelluisse constat. Vtcunque Peripatetici Dialectica & Physica tradiderint compositè firmiterque: in Ethicis profectò regnant; & cum Cicerone, eorum sæpè insectatore metuo; ne soli Philosophi sint, qui Stoici existunt. Tanti in istâ apparent, tam alti & erecti! tam omnia Humana calcant aut spernunt, & Hominem supra hominem tollunt, tantùm vbique vigoris est, & plus certè Animi, quàm in omnibus Philosophis cæteris inuenire possis. Non alio fine Ethicen discimus, quàm vt Præceptis primò ad Honestatis impellamur amorem; ac porrò Voluptatem, omnesque perturbationes Virtuti contrarias, assuescamus moderari. Hâc itaque in parte, Peripateticæ quis non prætulerit Stoicorum Philosophiam? Peripatetici honesta commodis commiscent; eaque inter se magnitudine & quasi gradibus, non genere, differre censent. Omnia quæ ipsi Bona vocant, ad beatè viuendum pertinere dicunt; corporisque commodis, vitam Beatam compleri putant. Perturbationes, Libidinisque & Cupiditatis genus, non modò naturale aiunt; sed & ad summam vtilitatem à Naturâ datum esse contendunt. At verò Stoa nostra, vnius in Virtutis dedita admiratione, externa omnia abiicit & spernit; atque totum illud splendidum, sed fallax Fortunæ Regnum, audentiâ validâ conculcat: Id quod est in homine perfectissimum & vltimum, attribuit soli Virtuti: in hâc solâ, ex toto seclusis Fortunæ Corporisque commodis, εὐδαιμονίαν

Auerroes. & post eum Canonhiero, del introduz. alla Politica, l. c. 1. n. 3.

Lips. manud. ad Phil. Stoic. & cent. 1. epist. 89. Ioach. Stephani IC. de monst. Polit. c 2. Heins. Orat. d. Stoic. Philos. Zachar. Vietor. dissert. Topic. 1.

4. Tuscul.

Cicero Tuscul. 3. & 4. Idem de Finib. 3.

ᾰφορίαν collocat; sufficere hác iudicat ad Beatam Vitam. Hæc dictio est, Auditores, quæ fortem & Virilem hanc Sectam, ab aliis mitioribus aut mollioribus abiungit; afflictos quæ solatur & euersos,

—— *duramq́ callet pauperiem pati:*

à Terrâ, Corpore, externis omnibus, ad Animum, ad interna & æterna quæ ducit. Quæ Bonum quærendum assignandumque sollicitat, quod nostri sit arbitrii; & quod casu non adimitur, casu non datur, quodque in Fortunæ potentiam haud venit. Vnam & breuem hæc Viam, ad Tuta, hoc est, Tranquillitatem vadenti præmonstrat: EXTERNA DESPICERE, ET HONESTO CONTENTVM ESSE. Scilicet secundum Virtutem semper agere, & Vocationem suam ornare: Euentum Deo committere, & in vtrâque Fortunâ, si animus est Bonus, se nunquàm non Felicissimum reputare. Hoc autem tam salubri dogmate, dictato hoc insigni, vtiliter frui nequimus; si non ex nobis sustulerimus Perturbationes Rationem excedentes. Eæ namque in Boni & Mali versantur opinione, Virtutemq; impediunt maxumè, destruunt facillimè: cùm nempè Animus ob concupitum & adeptum Bonum, effertur sine ratione; vel quæ Mens fortiter sustinere iubet, opinione mali præcipitanter nos consternunt. Iam verò Affectus, illas origines Malorum, acutiùs quis aperit, acriùs quis castigat, adductiusque Stoicis coërcet? Metum, Spem, Dolorem, Lætitiam, quàm temperant, minuunt, tollunt!

XLV. Ex duobus hisce fontibus; Virtutis nimirùm admiratione, & Affectuum detestatione, decantata illa Paradoxa, quæ Cicero Mirabilia vertit, extruuntur: præter vulgi opinionem, at quæ non sunt præter Veritatem; quæque ipsi disertissimo Romuli Nepotum, maxumè Socratica, longeque verissima esse videntur. *Præf. Paradox.* *Beatam Vitam vnam, & Sapientes omnes pares esse:* non enim successu crescere Honestum. *Virtutes inter se pariles, atq́ etiam nexas esse:* vnam qui habet, haud vnâ carere. *Sapientem sibi similem semper;* præsentibus, qualiacunque sint contentum. *Et nunquàm ideò sine Lætitiâ,* omne tempus ætatis in Gaudio, hoc est, perpetuâ in Tranquillitate; adeò *vel in tormentis Beatum, iniuriæq́ exsortem esse:* verum quippè gaudium, ex Cõscientię procedere integritate. Cumque ipsum Bonum sit Beatitudo; Bonos omnes, eo ipso quòd sint Boni, Beatos fieri aiunt: non probis Animis proprium decus, alienam decerpere improbitatem. *Pericula cauere, non timere* Sapien-

tem. Eundem *Inperturbabilem, apathen siue Affectuum expertem* esse: Dolorem, Metum, Cupidinem, Lætitiam sentiscere, & moueri quoque iis; sed reiicere, nec permoueri. *Sapientem non ignorare, non fallere, non mentiri.* Nimirùm ea tantùm quæ scit, scire se sentit & profitetur; Diuina iuxtà atque Humana, quatenùs opus est tenet: & omnia ex bonâ profert affectione. *Omnia cum exceptione aggredi Sapientem;* non quicquid solet cogitare, sed quicquid fieri potest: indeque ei *nihil præter Opinionem euenire.* Sapientem quæ sibi desunt, non desiderare: & proindè *se ipso Contentum esse. Uniuersitatem Sapienti,* non hæc singula *mancipari. Solum Diuitem esse:* quia sorte suâ contentus, nil ampliùs cupit. *Solum Sapientem Liberum:* eò quod non homines timeat, non Fortunam; nec turpia neq; nimia velit. *Solum Sapientem Regem* esse: quòd se regat, & reuerâ in genere humano Princeps quidam existat. *Dei adgnatum, socium esse, & Membrum:* imò *in se ipso habere quodammodo DEUM. Solum pulchrum:* Animi scilicet lineamentis. *Solum nobilem:* quòd solus probus. *Uno verbo, Omnia.* Cæteros, quantumlibet Æacide cretos, stolidam, seruam, egenam, turbam esse.

XLVI. Sed scio quas nunc Animo cogitationeque versemini curas, Oculissimi Auditores: factu difficillimum esse reputatis, nil tribuere Externis; quæ tamen necessaria sunt ad Virtutis vsum. Nos homunciones esse, omnia nobis negare non posse. Impossibile, vt coniicio, iudicatis, Affectus animique tollere passiones; quæ haud in nostrâ sunt potestate, quas nemo non intelligit, conditione quâdam humanæ sortis euenire. Admirabilia illa Paradoxa, promittere magna, & quæ ne optari quidem, nedũ credi queant. Altitudinem sensuum aut Decretorum nimiam, imbecillitatem hanc nostri generis superare censetis. At verò Herbam porrigitis, iam iamque efficaci datis Scientiæ manus, si nobiscum ita comparatum esse debere fatemini; si in iis, licet præaltis Præceptis, perfectionem Philosophicam consistere haud negatis. Ergò quid vocari ad ea nocet, quamuis non peruenturos? Est aliquid prodire parùm, si non datur vltrà: quin & in magnis sat est voluisse. Non, si Milo esse non possum, idcircò corporis omnem abiiciam curam: nec, si Cræsus non fiam, ideò acquirendi studium omninò deponam: neq; si ad Summa perueniendi, spes nobis appareat nulla, eâ de re omnis Exercitatio meditatioque est derelinquenda. Semper ad Summa, quod Quintilianus monet, niti debemus: *Hoc facientes, aut*

Arrian. 1. serm. Epict. 3.

tes, aut

tes, aut euademus, inquit, *in summum, aut certè infra nos videbimus multos.* Vt is qui Exemplar sibi proponit, emendatissimum cupit, etsi infra illud consistet: tale hoc est, quod in Sapiente suo Stoici præfigurant. Tali nobis consilio, ipse Optimus Maximus Deus Decalogi præfixit optima Præcepta: etsi imbecillitate hâc insitâ, ab eorum retrahamur obseruatione. Species & Ideá quædam proponenda fuit, quô connitamur: vt si non pertingere, saltem accedere; si haud assequi, tantùm æmulari queamus. Quâ ratione non in nostris iustè & bene factis; sed in absolutâ Virtutis specie & formâ, Felicitatem posuit Plato. *Cisner. Orat. de Ethic. util. fol. mihi 711.*

XLVII. Stoicorum, fateor, haud pauca sunt Religioni nostræ quæ non vndiq; concordant: verùm eiusmodi est Sapientia simul omnis Secularis, lympido Israëlis fonte nō lustrata: *Non completæ Virtutes, sed splendida potiùs sunt peccata*, vt Diuus loquitur Augustinus, *omnia Ethnicorum opera bona.* Non est Philosophorum vlla Secta, Saluificæ nostræ Confessioni quæ sit ámica. De ipso Aristotele, Gregor. Nazianzenus: *Abiice mihi Aristotelis multiloquam sagacitatem & artificium; abiice mortuales illos super Animâ sermones, & vniuersè illa dogmata humana.* De eodem Lactantius: *Aristoteles de DEO ipse secum dissidet, & repugnantia dicit ac sentit.* Iterùm: *Aristoteles Deum nec coluit nec curauit.* Philo Iudæus: *Aristoteles nunquàm piè aut sanctè doctus.* Aristotelis dogmata, vbique magna Impietate scatere, Franciscus Patricius profitetur; iisque Cœnobia Monachorum, nimiùm addicta esse, grauiter conqueritur idem. In eoque argumento multus est Franciscus Picus; qui Aristotelis doctrinam in Examine appensam, plus inanis quàm veri ponderis præ se ferre; triplicique eam vanitate laborare, operosè demonstrat. Philosophiam omnem si abiicere voles, Aristoteles & Stoici condemnabuntur ex æquo. At verò bonos mores & Philosophiã, si (quod Sani sentiunt omnes) præparationem & viam ad Veritatem esse statuamus: Secularis si Sapientia, eloquii propter venustatem pulchritudinemque membrorum, de ancillâ atque captiuâ Israëlitides est facienda; & quicquid in eâ mortuum, propter Idololatriam & errores, vel radendum vel pręcidendum. Næ ego cum quouis pignore certare ausim, nullam Sectã habere minùs quod purges vel recidas. Si ab vllis Philosophis, quæ vera dixerunt, tanquàm iniustis possessoribus sunt vindicanda; Stoica sanè Philosophia non negligenda. Certè ea vel præcipuè, curam manumque

19. d. Ciuit. Dei. c. 15.

In Hermet. Trismeg. ad fin.

In exam. vanitat. doctrinæ Gent. libro 4.

Keckerm. præcogn. system. Eth. fol. 8.

Christiano-medicam meretur: à quâ ad nostram Religionem, breuissimus non nemini transitus esse videtur; *quam nostro dogmati simillimam esse,* Diuus Hieronymus dixit. Quam Litterarum Sacrarum cognitione, præclarè Panætius illustrauit. A cuius sensibus multis, non abeunt Arnobius, Tertullianus, Pantænus, Clemens Alexandrinus.

in Isaiam cap. 10. *Eusebius lib. 5.*

XLVIII. Et mecum, quæso, ad rectæ rationis perpendite Præcepta, Auditores Optimi; Stoicorum decreta, Veriori Politicæ quàm satis accommoda suggerant initia atq; fundamenta. In nostrâ Porticu eruditum, an nō appositissimum Politices operarium iudicabitis & auditorem? Qui nempè Rempublicam benè institutam, imò Beatam & Felicem dicet, quæ ad verum dirigitur decus & honestatem: inopiâ etsi prematur, si ab hostibus obsessa, si ab amicis deserta, si deniq̀ue obruta appareat multifario genere calamitatum. Qui Felicitatem nihil quicquàm esse sciet, nisi rerum honestarum prosperitatem. Qui nouerit in perditis impiisq; cōsiliis, quibus Iul. Cæsar vsus erat, nullam esse potuisse felicitatē. Qui Virtutis viâ ad gloriam grassantem, abundè pollētem, potentemq̀ue esse; nec Fortunæ iudicat egere. Qui Iustos, etsi quascunque Fortunæ excipiant acerbitates, semper Beatos; iniustos licet maximis prosperitatibus, secundisque rebus affluentes, infelicissimos esse decernit. De Summo illo Bono, suaque illa αὐτάρκεια deblateret Peripatus; Stoicæ nobis placet magis alumnus Philosophiæ, vanis & supernacaneis abiectis, mortem, vincula, exilia, tormenta meditans: ità qui Mentem format inclementioris contra Fortunæ casus, vt quæcunque euenient, sic subeat, quasi non ignorauerit euentura. Philosophus is satisfacit mihi, sine mollitie qui Philosophatur: qui hoc demū reputat verè Philosophari; παρεσκευάσθαι πρὸς τὰ συμβαίνοντα, *paratum esse in omnem euentum.* Hæc sibi qui firmiter persuasum habet, an non optimus Aulicus foret? Tales si Aulæ incolas haberent, non eas *Inferni suburbia* Peresius nominaret. Ea est Humana Natura, vt si semel in consortium Bonorum (quod Aristoteles facit) admiserimus Externa, nil nisi Externa spirent; nunquàm ad Veriora Bona Homines adspirent. Si semel hæc intromittis, & vel aperis leuiter rimam: quis finis erit, aut modus? agmine facto, crede mihi, irrumpent, & minima momentum poscent in Vitâ Beatâ. Vt ii qui hostili versantur in regione, circumspiciunt, timent, agere auidi, aut anxii pati: non aliter isti, vllum qui

Bodin. 1. d. Rep. 1. *Keckerman. in Polit. fol. 26. vbi de Brunsuuiga. & f. 28. vbi de Belgio.*

Ammian. Marcell. 21. ad fin.

Vietor dissert. Topica 1. n. 67.

1. Eth. 8.

qui Bonum quærunt alibi quàm in Virtute; palpitantes, vt sic dicam, præcordiis viuunt, aut solicitè quærentes, aut magis quàm decet Externa custodientes. O si Deus, Hominibus istis oculos aperiret, vt videre possent Thesauros, magnificentiam, diuitias, pacem, libertatem, lucem, tranquillitatem, delitias, fauores & Bona; quæ Virtutem tanquàm pedissequæ, etiam in hoc Mundo sequuntur! Nunc autem omnia hæc abscondita sunt ab oculis eorum, & nihil præter corticem Virtutis intuentur; non dulcedinem illius interiorem gustantes. Bona semper Gloriæ appetimus; vilipendimus verò Gratiæ dona: cùm tamen Gratia, quàm vlla Gloria magis sit iucunda. Hæc quæ longiorem desiderant Orationem, summatim dicere cogor: Stoicis qui Paradoxis animum firmauerit, formaueritque, iis qui Antidotis, vmbratilis contra Potentiæ, Barbarici fastus, & Vanæ Gloriæ (quam nunc nominãt Reputationẽ) Auaritiæ, amorisque rerum priuatarum Toxicum, Animum fuerit præmunitus; audacter hũc in Politicam producerem Scenam: is quam velis mihi poterit agere Personam. O vtinam hodiè in Regum & Principum Aulis, vtinam in omnibus Tribunalibus Stoici essent; aut qui ibi sunt Stoicè Philosopharentur! O vtinam tales in Sententiis, in Consiliis conspicerentur; nil gratiæ, nil metui dantes, omnia ad Iusti normam dirigentes; quibus propositum foret, vsui esse aut auxilio, non sibi tantùm, sed vniuersis singulisq; communium Bonorum cupidi, nec vt Epicurei, vnius sui curam agentes. Talem Stoa nobis Politicum educauit, Catonem: *Flores Granatens. par. 1. c. 13.*

—— voluentem publicâ curâ
Fata virûm, casusq; Vrbis, cunctisq; timentem,
securumq; sui. ——

Cuius hi Mores, hæc immota Secta fuit; *Lucan. 2.*

—— seruare modum, finemq; tenere,
Naturamq; sequi, Patriæq; impendere Vitam:
Nec sibi, sed toti genitum se credere Mundo.
Huic Epulæ vicisse famem; magniq; Penates
Submouisse hyemem tecto; pretiosaq; Vestis
Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse Togam: Venerisq; huic maximus vsus
Progenies. Vrbi Pater est, Vrbiq; Maritus:
Iustitiæ cultor, rigidi seruator Honesti.
In commune Bonus: nullosq; Catonis in actus
Subrepsit, partemq; tulit sibi nata Voluptas.

Quantùm in illo vigoris ac ſpiritus, quantùm in publicâ trepidatione fiduciæ fuit! Sciuit ſe vnum eſſe de cuius Statu non agatur: non, an Liber Cato, ſed an inter Liberos ſit? quæri. Indè periculorum gladiorumque contemptus. Libet, admirantem inuictam Conſtantiam Viri, inter publicas ruinas non labantis, dicere;

enec. ep 95.

Luxuriatáq́, toris animoſum pectus.

Fuit tempus, quo prima Ingeniorum & Dignitatum apud Romanos, in Albo Stoico ſignârunt nomen: in eo Thraſeas Pætus, Q. Ælius Tubero, Seneca. Heluidius Priſcus, Rubellius Plautus, C. Plinius, Tacitus, & omnes ferè noſtri ICC. Legumque Pandectarũ conditores nobis occurrunt. Traianus, M. Antoninus, Alex. Seuerus, & Imperatorum Optimi quique. Hos mihi cum Stagiritæ Diſcipulo, ſcilicet illo terrarum conferte Prædone.

Vulteius, ad tr. .5. Inſt. d. Iuſt. & ur. idemq́, Diſcetat. cap. 13.

Lucan. 10.

—— non vtile Mundo
editus exemplum, terras tot poſſe ſub vno
eſſe Viro. ——.

Cum væſano illo adoleſcente comparate; cui pro Virtute felix temeritas erat: qui Gentium vaſtator, ſummum duxit Bonum, terrori cunctis mortalibus eſſe; oblitus non ferociſſima tantùm, ſed ignauiſſima quoque animalia, ob malum timeri virus. Agè, illud iam mihi conſiderate, quàm maxumo hi inter ſe diſcrimine diſtent. Agè, perpendite hoc, & vtrum velitis, per ſe contemplamini priuatimque; iurabitis fieri nõ poſſe, quin iuxta Prouerbium Muſicorum, δὶς διὰ πασῶν, ipſi etiam Inſtitutioni diſcrimen oporteat ineſſe: & has ideò duas Vitæ rationes, tantùm inter ſe conuenire, quantùm affinitatis eſt Alexandro cum Catone; hoc eſt, plumbo cum argento, æri cum auro, cum ſimiâ animali prædito ratione.

Senec. 1. d. Benefic. c. 13.

XLIX. Haud ſanè mihi (quòd imperiti, & captioſi forſan autument rerum Cenſores) conſilium eſt Veterem & ſepultam ſuſcitare Sectam: Superbiæ ſtupore, etiam apud D. Auguſtinum infamem. Sed hoc ſaltem, æquè ac Ludouicus Viues, iudico dolendum eſſe; quòd graues pleroſque Auctores, & qui parùm eſſent altercationes adiuturi (tanquàm ſenes aut imbellem multitudinem, è caſtris aut obſeſsâ Vrbe) è Scholis eiectos videmus, & id ferimus atque toleramus. Valdè ad meum ſenſum eſt, quod alicubi Lipſius dicit: *Qui Varia & Varios* (ſed optimos) *cum induſtriâ legit, cum Iudicio ſeligit: Næ ille factionis expers, veri conſors facillimè reddetur.* At nos quid facimus propè omnes? Platonem, & ingenuum illum

19. d Ciu. Dei. c. 4. .de co rupt. art.

Manuduct. ad Stoic. . diſſ. 5.

illum Socratis pullum, Xenophontem dico; Epicteti dissertationes, à Schegkio Latio donatas; Aureolum M. Antonini Philosophi de Vitâ suâ librum; Vtrumque Senecam, Lucanum, Boëtii Consolationem; Prudentium, quem Scholis quàm familiarissimum fieri voluit Sichardus noster; Euripidē, Sophoclem, Æschylum, pauci Studiosorum nomine nôrunt; non vllus legit! Imò ipsi Sancti Patres, Hieronymus, Ambrosius, Bernhardus, Anshelmus, exules sunt; aut potiùs illorum discessu, exulare dicemus doctrinarum Gymnasia quàm multa? Quin & ex iis ipsis Auctoribus, qui tela conflictatiunculis (quas nunc ferè suspicimus solùm) suggerere possunt, & propterea in manibus versantur; ea tantummodò decerpimus (& quidem prauè intellecta, vel detorta persæpè) quæ in aciem venirent, nō eruditam illam & dignam magnorum Ingeniorum inquisitione: sed circulatoriam & diuinatricem; quā facilè quiuis obeat sine libris, & instituat sine rerum cognitione. Eneruata est hodiè Sapientia Virilis, verior exulare cogitur Philosophia, vbiq; quia imperat Philodoxia. Sacer Aonidum puluis, facta est Bestiariorum arena; altercantur, rixantur, digladiantur, rectissimaque Ingenia, à vero Philosophiæ fine, in acuminū flexuosos detorquent Labyrinthos; natas in vsum vitæ Literas, quæstionum condiunt tristitate. Quis Mores seriò emendat? quis de honesto, Virtute, constantiâ ita disserit, vt secundum ea viuat? Hûc, hûc ducenda est indoles generosa, non vanis argutiis debilitanda. Exclamare cum Senecâ licet: *Postquàm Docti prodierunt, Boni desiêrunt. Simplex enim illa & aperta Virtus, in obscuram & solertem Scientiam est versa: docemurq; disputare; non viuere.* Conqueri, non mederi meum est: de Remediis dispiciant Prudentiores, pios conatus non supprimant, sed exemplo foueant Præpotentes.

Vietor dissertat. Topic. 1. n. 61.

Epist. 95.

L. Ethices praxis Historia est. Nil ea nisi Virtutum Vitiorumque (quod argumentum Moralis complectitur Philosophia) diligens & perspicua demonstratio existit. An enim Fortitudinē, Iustitiam, Fidem, Continentiam, Frugalitatem, Mortis Dolorisq; contemptum, meliùs alii, quàm Cornelii, Valerii, Fabricii, Curii, Decii, Mutii docebunt?

Fr. Balduin. de hist. Laurent. Grimal. d. Senatore. J. Casaubon. in præfat. Polyb. Ciner. d. histor. vsu. Keckerm. tr. de natura Histor. passim.

Libertas quæsita placet, mirabere Brutum.
Perfidiam damnas, Metii saturabere pœnis.
Triste rigor nimius, Torquati despue mores.
Mors impensa bonum, Decios venerare ruentes.

Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cocles; Mucii te flamma docebit.

Neque hæc, exemplis quæ agit Sapientia, ex cognatis temporibus, præsentique tantùm luce intuenda: omnis sed memoria Antiquitatis, honestæ Vitæ spatium, & præstantissimæ Laudis curriculum iudicari debet. Idem quod Philosophia, Historia molitur; at factis & Exemplis illustribus, dilucida magis reddit, quæ illa Præceptis & rationibus exprimere conatur: cùm quippè Exemplis potiùs quàm Enthymematis gaudere & moueri homines, in Problematibus trádat, & eius rei rationem Aristoteles reddat. Viua spirānsque est Doctrina; non spinosis Disputationibus contra scelera atque vitia decertat: viâ sed stabili & planâ, ad veræ nos Sapientiæ Adyta ducit; rerum scilicet Humanarum cùm ostendit Vanitatem, cæcam cùm Mundi Stultitiam palàm facit; Diuini cùm Numinis admirationem, ex Iustis ipsius Iudiciis, & exindè prouenientem timorem, attendentium animis satagit ingenerare. Historicorum monumentorum conditores, Prouidentiæ Diuinæ ministros in terris agunt. Operum nempè sunt Scriptores, quorum Deus factor est: Iudiciorum, vt sic dicam, Actuarii sunt & Scribæ, quorum Deus est Auctor.

LI. Historia nostros animos altè sublatos, velut in Speculâ quâdam excelsâ collocat, de quâ sub pedibus nostris vniuersam cernimus Terram; ex quâ circumspiciamus, quicquid in Orbe Terrarum, ex quo ille est conditus geritur, quod quidem animaduersione, nostraque memoriâ sit dignum. In alto nos sistit Olympo, vbi omnes cùm despicimus Vrbes, Prouincias, Regna; totidem nos monet videre consepta cladium humanarum. Amphitheatra hæc quædam esse prodit, & velut arenas, in quibus nil nisi cruenti Fortunæ Ludi. Illinc Reges & Principes videmus, modò Maiestatis suæ fulgore, oculos palàm mirantium, clàm inuidentium præstringentes, deniquè Superis proximos; modò pullis miserè amictos, soliis deturbatos, dignitate omni nudatos, postremò cuiuis etiam priuatorum miserandos. Alibi motu terræ Oppida hausta, heîc obruta aquarum repentinâ inundatione, aut tellure dehiscente absorpta; ibi superbas paulò antè incolarum frequentiâ Prouincias, vnius autumni intemperie, & paucorum dierum, an mensium morbositate fuisse vacuefactas comperimus. Heîc ferro, illîc flammâ, homines, familiæ, nationes, delentur atque extinguuntur.

Lipsi. 2. d. Cōstant. c. penult.

guntur. Diem, horam, momentum, dominationibus euertendis sufficere, aspectu sentimus, adamantinis quæ radicibus credebantur esse fundatæ. Contemplatio hæc, vt nil nouum nobis, nil insolens in posterùm, quod quidem nos valdè tanquàm attonitos percellat, occurrere queat, efficere potest. Vna propè res est, Beatum quæ facere possit; *Nil scilicet admirari*: & hoc Historia præstat. Seruius Sulpitius vir doctissimus suæ ætatis, & (vt adhùc nobis etiam gratior fiet) Iureconsultus Magnus; cùm nihil non faceret, vt & Ciceronem, qui filiæ deflebat mortem, & seipsum, qui interitum Reipublicæ lugebat, consolaretur, ita scripsit ad eundem. *Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare; si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asiâ rediens, cùm ab Æginâ Megaram versus nauigarem, cepi regiones circùm circà prospicere. Post me erat Ægina, antè Megara, dextrà Piræus, sinistrà Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt; nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur; si quis nostrûm interiit, aut occisus est; quorũ Vita breuior esse debet, cùm vno loco tot Oppidûm cadauera proiecta iaceant, &c.* Si vna illa Nauigatio breuis, quàm sint res humanæ instabiles atque caducæ, admonuit Seruium nostrum, eique sapiẽtissimam obiecit cogitationem, quâ suum & Reipub. casum æquiùs ferret; quid, quæso, facere potis est Historia Vniuersa? cùm nos vehat atque circumferat per totum terrarum Orbem, nobisque spectandas det omnibus Seculis, perpetuas illius conuersiones; & in tantâ tamen Fortunæ varietate, Constantiam quorundam Virorum agitatam magis, quàm labefactatam: quid, inquam, quantumque nobis adferre poterit Consolationis? Prudenter & egregiè Academicus ille Philosophus, & auditor Platonis, Crantor; qui versum hũc semper habebat in ore: *Heu me. Quid heu me? Humana perpessi sumus.* Circulari quotidiè clades, & orbe quodam ire per hunc orbem, Historiæ docent. Non tristia hæc cùm eueniunt, ingemiscere sinunt; illud potiùs mirum esse, discimus exindè, si exlex quisquàm ab hâc communi reperiatur Lege, nec onus ferat, quod ferunt omnes. Iam verò, si (quod caput est) Religiosa accedat consideratio Prouidentiæ Diuinæ; cuius ab Historiâ nunquàm abesse memoria debet: quæ tandem ærumnæ nostræ possunt esse tantæ, quarum non illa molliat acerbum sensum?

4. ep. fam. 5.

LII. Naturalem Historiam fateor dignissimam esse, cui de-

mus operam omnes: vt Cœli (si ita loqui fas est) Oeconomiam, Solis Lunæque Labores, Stellarum progressiones, & eorum quæ sub Lunâ in aëre fiunt conditionem; Animalium deindè, quadrupedum, auium, piscium, stirpium, metallorum, & rerum aliarum, quas vel aqua gignit, vel terra producit, vt vim consideremus; & postremò quod de Animâ corporeque hominis cognoscendum est, haud ignoremus. Magna profiteor, & admirabilia hæc esse; *cognitionem rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad benè beateq; viuendum necessariam esse*, in eâdem cum Cicerone, vel voluntate sum vel opinione. Sed in hanc etiam descendendum est arenam inferiorem; & omninò inspectione notioneque dignanda, quæ hîc gesta sunt vel geruntur ab iis quorum caussâ illa Superiora condita sunt vniuersa. Magnæ profectò & præclaræ sunt hæ velut Academiæ binæ: duo sunt multarum rerum cognitione refertissimi Libri. Optimè Imperator Optimus, hoc est Philosophus, M. Antoninus: *Qui igitur Animo præditus est alto, & cognitionem habet omnis temporis, omnisq; Naturæ; an tu eum existimas hominis vitam magnum putare aliquid? Nequaquàm, respondit ille. Ergò ne Mortem quidem in Malis ille reputabit? Minimè verò.* Ac quidem, cùm superiorum illa rerum theoria, abs hominum colluuie, auocatos nos tenet atque secretos; magis in vestibulo sempiterni, Cœlestisque illius domicilii, nobis versari videmur: in quo Dei consuetudine, propiùs aliquandò fruemur. Vultque Deus in eo tanquàm limine, nos maiori quâdam suspensos exspectatione, intereà dum vitam hanc viuimus, hærere: non aliter ac Populum suum, in Atrio, ante fores Templi consistere olim iussit. Attamen & quæ aguntur in huius, in quo viuimus, infimâ quasi caueâ Theatri, magis magisque sunt contuenda. Etenim & hîc non minùs, quàm illîc, rerum Diuinarum sensu atq; admiratione, si cœci stupidiq; non sumus, perfundemur. Imò verò Deus hîc interest, & agit multò magis: eaq; conditionem & officium nostrum propiùs attingunt.

3. Offic.

M. Antonin. 7. d. Vita sua.

LIII. Iniuriosum itaque est, & in Diuinam Prouidentiam contumeliosum, Historias scribere inanes Veritate, scelesta Magnatum facinora, vel occultare subdolè, vel adulatoriè excusare; & quæ Deus de sellâ atque Tribunali, æquissima Iudicia pronuntiat abscondere velle. Imprudentes sunt Principes, vel sua vel Maiorum qui scelera, abstrudunt cautè, retrudunt violenter: quę tamen Iustum haud vnquàm Vindicem latent; toti quæ Mundo, omnibus

bus qui vnquàm in Mundo fuerunt, patentia & aperta fient aliquandò. Annales & Historicos igne concrement: Deus tamen nouit adinuentionem illorum, & quæ cogitant in cordibus suis; peccantes & volentes occultare peccata sua. Propter quod Dominus scrutando scrutinauit omnia opera illorum, & traducet eos. Historiæ finem & metam disturbant hi omnes: ea vt turpiter factorum Index; sic rerum quæ cum virtute sunt actæ, Testis debet esse sempiterna. *Hanc* enim *potissimam vtilitatem Historiarum existere,* probè Polybius scribit: *Vt Probi laudibus sui similem ad Virtutẽ inflammẽtur: Mali vituperatione & infamiã à vitiis & sceleribus auertantur.* Iuuat de Principibus omnia nosse; vt Improbi, saltem Famæ metu talia declinent: vt ii historiographos magis, quàm puellæ deformes Specula timere discant. In Litterarum monumenta, haud mitti debuissent petulantia, libido, luxuria, auaritia, crudelitas Neronis, nõ Noctium ipsius ingenia, alio notescunt fine; quàm vt hoc Exemplo sanctiùs modestiùsque viuere Tyranni discant: cùm nempè vicissim excipiunt auditione; Neronem à toto quasi terrarum orbe destitutum: *Ergò ego nec amicum habeo, nec inimicũ!* lugubri lamentatione exclamasse. & cùm hostis à Senatu iudicatus, vt More Maiorum puniatur, quæreretur; quale id genus esset pœnæ, cum gemitu, seruulos qui reliqui erant, interrogâsse: tandemque cùm suomet iugulo ferrum adegisset, extantibus rigentibusque oculis, vsque ad horrorem formidinemque videntium, defecisse. Hæc & alia similia, Historia non silere; hæc ad posteros propagare debet. In Republicà Tyrannide non oppressâ, Liberã Linguam esse decet. Nec absonum est Pasquilli Ecstatici apophthegma: *Oportere ibi multa esse ridicula, aut etiam flagitiosa, vbi Momos vitant.*

4. Esdr. vlt. v. 6 &c.

Pulchrè Kecker. 1. Polit. cap. 2. mi fol. 61. & seq. vt de Henr. Brunsvvicensi & Sleidano.

Sext. Aurel. Victor. in Calig. Ar Perez. in aphoris f. m. 20. num. 100

Sueton. in Vita.

Cal. Secũd. Curio in Pasquill. Ecstatico. f. m. 32.

LIV. Historiam Sapientiam inchoare, & multis nominibus eam iuuare posse, hactenùs est probatum. Ciuilis autem doctrinæ, Publicæque ac priuatæ Prudentiæ, eandem & ponere fundamenta, & fastigium supremamque manum, illis imponere propè solam: *Nec aliunde* (vt Cicero aiebat) *ac ex Annalium monumentis, aut res Bellicas, aut omnem Reipublicæ disciplinam cognosci*; in ore atque oculis omnium esse videtur. Planè si definitionem admittimus, proditam à Philosophis antiquis; Prudentia nihil aliud est, multarum nisi rerum memoria, & vsus complurium negotiorum. Ex quo sanè, haud vlli non perspicuum fit, quàm sint non dicam

affines; sed idem penè, Prudentia atque temporum monumenta. Historia namque humanæ Vitæ compendiaria instructio est; exemplum morum & naturarum, hominum negotiorumque Iudex; experientia actionum certa, prudens atque fidelis in rebus dubiis consultrix. In Historiis probè versato, ferè nulla Reipublicæ administrandæ ratio deesse potest: in omnibus gubernationis negotiis, is est exercitatus. imò ipsa Historiarum lectio, viua quasi exercitatio atque Experientia censetur. Per eam quis vno die intelligit perfectè, quod nunquàm toto Vitæ curriculo, aut tardè admodùm cognoscere quiret. *Est in Senibus prudentia, & longa ætas peritiam adfert.* Verùm non vltima semper exspectanda ætas; cùm in docili ingenio Studia præstent, vt quantùm ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis Seculis vixisse videamur. Illa cognitio Antiquitatis, eorum quæ experti sunt, casuum comprobatione confirmat Seniores. Iuuenes verò, qui Historias ad manum, & illustrium virorum Exempla in promptu habent; tantò Senibus, qui eâ commoditate destituuntur anteponit, quantò plura negotia complectitur, multarum ætatum Historia, quàm facit longissima Vita. Quò etiam respiciens Plato, in Timæo Sacerdotem Ægyptium inducit, Græcos ob memoriæ rerum Veterum ignorationem reprehendentem, & ad Solonem dicentem: Eos semper Pueros esse; in quibus putà nulla notitia sit Vetustatis, nulla proindè Sapientia senilis & cana. Qui Iuuenes ad Historiarum incitantur Lectionem: non in Senectute, cum Naturâ (quod Themistóclem centum & septem annos natum, fecisse legimus) expostulabunt; quòd tunc egrediendum sit è vitâ, quando iam sapere didicerint vsu longo. Heîc namque reperiēt sine labore, quæ alii cum labore collegerunt. Nobis ne sit necesse, cum animi & fortunarū, ac corporis quandoque iacturâ, Peregrinari, Historia efficiet: & sine periculo vel molestiâ, plus quàm vlla Peregrinatio fortasse posset, domi nobis sedentibus præstabit. Ac item, quibus commodè Peregrinari licet, non sine hâc id facere conceditur cum vtilitate.

Keckerm. disput. tract. 22. probl. 5.

Iob. 12.

Frideric. Furius Ceriolan, de Consiliis, & Consiliar. l. 2. n. 4.

L V. Aliqua prætereà Diuinatrix quodammodò Prouidentia, ex Historiarum sumi potest obseruatione: ea ex rerum præteritarum memoriâ, præsentiumque statu, quandam de futuris colligit coniecturam. Suam laudent alii μαντικὴν Astrologiam. Ego vt illud vetus sæpè audio: *Qui benè coniicit Bonus est Vates.* Sic & istud affirmauerim esse verum: *Qui bonus est Historicus, benè coniicit*; cùm impen-

impendentia ex anteactis præsagit. Talia ego τεκμήρια in Reipublicæ gubernatione, non minoris aliquandò fecero, quàm Medici sua κριτήρια in curatione morborum; vel in nauigatione sapientes Nautæ, sua futurarum tempestatum præsagia atque signa.

LVI. Historicos Libros, rectè appellari Libros Principum, agnosco lubenter; & quod Principibus præscribitur, omnibus Rerumpublicarum Gubernatoribus præcipi, sentio peræquè. Scribant alii quod volunt, de Principum Educatione, Institutioneq; ; Ego illud prætulerim Monitum, ad Honoriũ filium suum, Theodosii Imperatoris:

Interea Musis, animus dum mollior, instes; Claudian.
Et quæ mox imitère legas; nec desinet vnquàm,
Tecum Græca loqui, tecum Romana Vetustas.
Antiquos euolue Duces. ———

Achillem tacebo, qui inducitur à Sapientissimo Poëtâ, per otium se oblectare, meditans

Fortia maiorum, præclaraq; facta canendo.

Silebo Reges Syrorum, Persarum, Ægyptiorum; quos Historiæ admodùm studiosos fuisse, & Sacræ Litteræ, & alia testantur Antiquorum monumenta. Pœnos quoque, immitem illam gentem, Historias lectitasse: Hannibalem etiam scripsisse. Ipsos quin etiam Turcarum Sultanos, & legere, & inter armorum fragores, Consilia aliquando ab Historiâ opportunè petiisse, non dicam. At Romanos rerum Dominos, Populorumq; rectores, sine piaculo præterire non possum: Viros in exemplar omnium magnarum Virtutum natos. Hi cùm per multa Secula, alias omnes Litteras ignorarent; Philosophiam verò etiam odissent; Philosophos pellerent Vrbe: Hi, inquam, Historiæ mirandum in modum dediti fuêre vni. Nõ quidem vt animi caussâ, aut tempori fallendo, aliquam sibi indè pararent oblectationem; multò minùs, vt inerti eruditioni ostentandæ (qui multorum hodiè est morbus) aliquid in vino aut circulis blaterarent: sed vt omne genus exempla prudentiæ, & vtilium consiliorum adnotarent; in opera mox, magno Reip. suæ Bono vertenda. Vnicum hîc nomine notare lubet Nobilissimum Historiæ alumnum; qui ex eâ tantam rei Ciuilis Militarisq; peritiam hausit, quantam ab ingenio Politico, indè percipi posse asseuero. Fuit Romæ, inter alios sui Seculi, Lucius Lucullus; ab eo (quòd adulescentiam in operâ forensi, reliquam ætatem vniuersam traduxerat

duxerat in pace) laudem Imperatoriam nemo expectabat. Idem tamen nactus Consulatum, ad Mithridaticum Bellum missus est à Senatu. Igitur cùm totum iter & nauigationem consumpsisset, partim in percuntando à peritis, partim legendis rebus gestis: *In Asiam* (ita ait eloquentiæ Romanæ parens) *factus Imperator venit, qui erat Româ profectus, rei Militaris rudis.* Et quoque adiicit idem: Tantum Imperatorem in omni Belli genere fuisse Lucullum, prælijs, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiusque belli instrumētis, & apparatu: vt Rex Mithridates post Alexandrum Maximus; hunc à se maiorem Ducem cognitum, quàm quemquàm eorum quos legisset, fateretur. In eodemque etiam, tanta prudentia fuit in Ciuitatibus constituendis temperandisque, tanta æquitas in Imperando: vt Ciceronis tempore steterit Asia Luculli institutis seruandis, & quasi vestigiis persequendis. Consilio ex Historiarum lectione sumpto; efficis vt non multo milite, vincere possis multos: vt vi proiecta cadauera tergo aut ore premant campos, ac ampla spolia reportes. Hincque optimo & laudatissimo Imperatori Alexandro Seuero, consuetudo fuit; vt quoties de re militari, in Consilio suo tractaretur, Litteratos Duces adhiberet: & maxumè eos, Historiam qui nôrant: cùm quidem subindè requireret, quid in talibus caussis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel Exterarum gentium fecissent. Non erat illi satis, quòd ipse didicerat veterum gesta; sed & ab iis qui suum Consilium participabāt, eandem peritiam exegit: etiam inter deliberandum de summâ Reipublicæ, facta maiorum præclara audire voluit & doceri.

VVaremund. i. d. Fœder.c.1.n.121.

Lampridius in Vita.

LVII. Diutiùs forsan quàm par est, in hâc hæreo commemoratione, & itaq; inductione plurium exemplorum, in præsentiarum supersedeo declarare; quos Romana Respubl. clarissimos vnquàm habuit gubernatores, eos olim ex Historiæ Scholâ, tanquàm ex Equo Troiano prodiisse. Et quos Iurisprudentia imprimis laudat Auctores, eosdem laudari posse Historiarum Magistros. Nec ego adhuc satis certò statuere queo; plusnè lucis Historia ex Iurisprudentiæ libris, an ex Historicis monumentis accipiat scientia Iuris: sed illud affirmare liquidò possum, sic vtramque esse comparatam; vt (quod ille ait) altera alterius poscet opem, & ambæ conspirent amicè. [illegible]um coniunctio tam mihi necessaria videtur; quàm vnius corporis indiuisę partes, aut membra, diuelli neq; possunt,

Guil. Val. Forster. Interp. l. c. 5.

possunt, neque debent. Non est mihi Iureconsultus, qui non Historicus: haud eum satis Historiarum iudico gnarum, qui non sit Iurisperitus. Ius Publicum qui callet, magis facta quàm verba, rationes consiliorum, quàm euentus, caussas Bellorum & occasiones, quàm prætextus; mores & studia Principum, quàm eorum res gestas inquiret: quod qui negligit Chronolalus & anilis Annalista, non vnquàm mihi Historicus erit. Nec parùm itidem Historia commodat Iuri Priuato. Legerat Papinianus, Ciceronem Cõsulem, in quæstione Catilinariæ Coniurationis, Fuluiæ Meretriculæ indicium non reiecisse. Indè respondit atque probat, in crimine Maiestatis Mulieres audiri: quibus alioqui accusationis interdictum est potestate. Legerat Triphoninus IC in Oratione Ciceronis pro Cluentio; Mulierem quandam Milesiam in Asiâ damnatam esse rei capitalis, quòd ab heredibus secundis, acceptâ pecuniâ, ipsa sibi Partum medicamentis abegisset. Hoc ille mox exemplum inducit pro Lege. Legerat Pomponius, Attilium Regulum, olim visum non esse Postliminio reuersum; quòd iurauerat se Carthaginem rediturum. Hinc colligit, aliquem captiuum ita demùm Postliminio intelligi reuersum, si in Ciuitate remanere, & velit, & iure possit. In Pandectis, etiamnùm extat Vlpiani locus, vbi tam laudatur decimus Augusti de Vitâ suâ liber; vt etiam Legis loco sit, quod in eo scripsit Augustus: *se obseruasse, vt Corpora eorum qui capite damnantur, cognatis ipsorum non negaret.* Si Historias omnium gentium, tali cum obseruatione legeremus, vt & debemus; quis non dixerit, incredibilem in iis Thesaurum Iuris Ciuilis reconditum esse: genuinam indè Iuris Gentium cognitionẽ haurire possemus. Eiusque rei specimen nobis Ærodius commonstrauit, in suis Rerum Iudicatarum libris. Equidem non exemplis, sed Legibus est iudicandum: ab exemplis tamen probabilem duci coniecturam, tralatitium habetur. Et in dubio, imò iudicandum est exemplis: & firmius Iudicium creditur, quod plurimorum sententiis confirmatur. Gesta summorum & bonorum Virorum, imitãda sunt semper: *Socordiæ enim & proditionis est, nolle eos imitari, qui tanti fuerunt*; scribit quodam in loco Iustinianus. *Quod Mundus probat, non audeo improbare*, respondit alicubi Baldus.

l. 8. ad l. Iul. maiestat.

l. 39. d. pœnis.

l. 5. d. captiu.

l. 1. d. cadau. punit.

Alb. Gentil. 1. d. Bello. cap. 1.

LVIII. Quis porrò nisi ignarissimus non nouit, vel hoc solo nomine, Iureconsulto necessariam omninò esse Rerum Romanarum cognitionem: exindè quia plurimarum Legum, in Syste-

mate illo Iuris, quod Iustinianus nobis reliquit, desumi oportet interpretationem. Propter crebram Reipublicæ, Legumq; Romanarum mutationem: propter Iuris Romani varia initia, varios que progressus; opus sanè habemus Iuris Historiâ singulari, quàm attigit magis quàm exposuit, sub Pomponii nomine Tribonianus, quam posteà satis feliciter absoluit Valentinus Forsterus; quamq; vt ante Institutiones Iustinianeas, omnes qui Iuris se studio addicere cupiunt, non segniter perlegant, auctor ego & suasor extiterim semper. Quis siue Iuris Interpres, siue Grammaticus, absque adminiculo Historiæ explicabit; qui olim Petitii, qui Flamines, quæ Vestales, qui Rex Sacrorum, qui Pontifices, qui fuerint Epulones? Quis rectè docuerit Senatores, quis Magistratum Curulē, quis Pedarium, quis Consulem, quis Dictatores, quis Equitum Magistros, quis Censores, quis Prætores, Tribunos Plebis, Ædiles, quis Quæstores? nisi priùs euoluerit libros Historicorum. Et eiusdem generis alia infinita reperiuntur, in singulis partibus nostri Iuris. Nil nisi turpitudinem nostratium referrem, si dicere vellem; quoties ac quàm fœdè lapsi sint Accursius, & Veterum Interpretum cohors, Historiæ Romanæ propter ignorationem. Pudet profectò me, cùm ego audio Bartolum & Paulum de Castro, Nobilissimos Iuris Doctores, de Papiniani & Diocletiani ætate; ad quarundam Legum conciliationem, ineptissimè, atque adeò stolidè, non tam loqui quam nugari. De Legum XII. Tabularum origine, talem & talibus verbis, Accursius Historiam refert. *Antequàm decem constituerentur Viri, qui à Græcis Ciuitatibus Leges peterent, miserunt Græci Romam quendam Sapientem; vt exploraret, an digni essent Romani Legibus: Qui cum Romam venissent, Romani cogitantes quid poterat fieri; quendam stultum ad disputandum cum Græco posuerunt: vt si perderet, tantùm derisio esset. Græcus Sapiens nutu disputare cœpit, & eleuauit vnum digitum: vnum Deum significans. Stultus credens quòd vellet eum vno oculo excæcare, eleuauit duos, & cum eis eleuauit etiam pollicem; sicut naturaliter euenit: quasi cæcare eum vellet vtroq;. Græcus autem credidit, quòd Trinitatem ostenderet. Et sic credens Romanos dignos Legibus, recessit; & Leges his Sapientibus concedi fecit in Ciuitate Athenarum ac Lacedæmonum.* Eiusdem ordinis, ne dicam eiusdem farinæ sunt, quæ comminiscitur de Fusiâ Caniniâ Lege. Cùm enim eâ Lege Seruorum manumissionem, & libertatem magnâ ex parte animaduerteret impediri; efficere nitebatur

bonus

l.2. d. Orig. Iur.

Gribald. d. rati stud. 1. cap. 15.

Ad l.2. §. exactis. in verbo: constitui. d. Orig. Iur.

Paul. Benius, lib. 4. d. histor. f. 241.

bonus hic auctor, huiusmodi Legem à cane deriuari; proindeque rei consentire nomen. Itaque de Legislatore loquens: *Canis*, inquit, *seruabat naturam, qui stat in paleâ, nec sibi potest habere paleam, nec alii accipere permittit. Sic, nec ille poterat tenere seruos, quia moriebatur; nec libertatem patiebatur eis dari: vndè merito Caninia dicitur, vt sit conueniens nomen rei.* Et hæc Accursius. Vos autem,

Spectatum admissi, risum teneatis amici.

Eiusmodi Fabulas, nouas nec lepidas, non veras, nec verosimiles res continentes confinxerunt; cùm Historias negligerent probatas. Omnia erant commenta, putidèque excogitatæ inuentiones; & etiam Religio ipsa, Clericorumque ad Populum sermo, in Fabulam Milesiam degenerârat: dignam magis quam narrent Vetulæ pueris ad focum, ne plorent, aut fient molestiores; quàm quæ Cathedras Templorum occuparet. Ignoratio sanè Historiarum, Superstitionisque Zelus effecit; vt proximis hisce quadringentis annis, nulla ferè vnquàm Secula, ab omni Veritatis carentiâ fuerint deformatiora. De quo testimonium perhibere queunt; Aurea Legenda de Sanctis, Fasciculus conformitatum S. Francisci, Sermones dormi securè, Sermones Oliuerii Maillardi, Gabrielis Bareletæ, Menoti; aliorumque circa terram natantium Theologorum, similia scripta. Is cæcus est certè, Monachorum hæc qui suscipit, non ita pridem exorta Somnia atque deliramenta: insulsi Papicolæ sunt, qui nos clariùs videntes, ea æstimare magni, & cõmentitiis rebus adiungere cogunt fidem; nullam quæ delectationem habent, nec vel sententiis adiuuant, vel verbis.

H. Estienne, c. 34. de l'Apologie pour l'Herodote.

LIX. Nec hoc porrò est ignorandum; Vniuersæ Historiæ, Vnum esse veluti Corpus: cuius si lacera tantùm Membra, &, vt ille vocat, διερριμμένα τὰ μέρη, sparsim intueamur; minimè quid aut quale illud sit, intelligemus vnquàm. Suum quidem singulæ partes vsum habent atque fructum: sed separatæ non præstant, quod perficiunt coniunctæ. Historiæ idcircò opera danda est vniuersæ, nec eam pro parte intelligi posse, autumare quis debet. Et etiam Vniuersam ac indiuisam dici opinor: Temporum, Regionum, & Rerum ratione. Rerum, inquam, triplicium: vt Statum Religionis & Reipublicæ, domi ac foris; hoc est, historiam Sacram, Ciuilem & Militarem requiramus. Nihil in Historiâ actum esse videtur, nisi si totum illud quod dico, præstetur. Haud tamen illos laudo Scriptores, qui Historiam reputant imperfectam, nisi

Primæuum quæ pingit Adam, costamq́ virilem.

Placent ii mihi magis; illa vetera, toties iam in Scenam producta qui omittunt; qui quæ nescimus scribunt: ea demùm qui narrant, quæ vel viderunt, quibusque interfuerunt ipsi, vel quod ab aliis acceperunt, optimâ recensent fide. Est enim ex origine ἱστορία, cognitio ocularis. Quandò quid nouimus non leuiter, non ex rumore; sed indicio aut iudicio visus: siue nostri, siue alterius qui non fallit. Hoc saltem volo; vt in audiendo & legendo, vniuersus Orbis, omnia nobis tempora proposita sient.

ab ἵστημι & ὁράω.

LX. Agnosco fateorque lubens, vix Alcidæ Laborem similem huic esse: quo scilicet omnium Gentium & Ætatum, acquiramus cognitionem. Huic maxumè Polymathian si quis (quod vrgeo) iungere, & simul Iurisprudentiam tractare velit. Hunc tamen faciliorem reddet consuetudo; ea si à teneris capiatur, & assiduitate exerceatur quotidianâ: si Emundum Richerium, ab Historicorum lectione Scholasticos absterrentem, non audiamus: si Chronicon Melanchthonis & Peuceri, Iustiniq; Epitome, & Valerii Maxumi Exempla, exercitiorum loco Pueris proponerentur; hæc duo vt in Linguam vernaculam, illud vt è Germanico transferant in Latinum. Si tempus quod deambulando, garriendo, ludendo, commessando perdimus, huic tribuatur: si studiis eas horas, quibus nihil, aut malè agimus, impertiuerimus; si hûc contulerimus cogitationes, quas impendimus captandis lucris. Satis enim Temporis ad comparandas artes, nobis suppeditauit Natura: sed breue illud nos ipsi facimus; in delitiis, iocis, voluptatibus, sodalitatibus, bonam eius partem absumentes. Maturè Diligentia est instituenda, hæc semper adhibenda; hæc non nisi Vitâ terminanda. Nam, vt Pomponius I C. inquit: *Ego discendi cupiditatem; quam solam viuendi rationem optimam, in octauum & septuagesimum annum ætatis duxi; memor sum eius sententiæ, quam dixisse ferunt Iulianum: Etsi alterum pedem in Sepulchro haberem, adhuc tamen discere quidem vellem.* Nemo ignorat, qualis & quantus inter Medicos fuerit Galenus; ille verò de se ipso sic scribit: *Felicitatem meam, quã beneficio paterno habueram, quamuis ego maiorem adhuc redderem, quòd citiùs meliùsq́ reliquis omnibus quæcunq́ docebar ediscerem; nisi tamen per vniuersam adeò vitã, in Medicinæ Philosophiæq́ theorematibus me diligenter exercuissem, nihil præclarum consecuturus eram.*

In Obstetr. Animor. c. 6. n. 5.

L. apud Iulian. ff. d. fideicom. libert.

LXI. Sed cùm redeo ad illud de quo scripsi, occurrit commodè

modè Monitum haud importunum. Historiæ Vniuersalis studiũ, iuimus commendatum: sed ità hoc non mihi displicebit; si non diminuet memoriam rerum Domesticarum. Putidæ eorum delitiæ sunt, nimiumque ipsis degeneres censeri debent; quos tam suæ Gentis pudet, Patriæve tædet, vt abs Maiorum suorum abhorreât Monumentis; & veterum peregrinarumque rerum admiratione capti, nullam recentiorum, nullam domesticarum recordationem admittant: in alienas qui Oeconomias curiosè inquirunt, suas negligunt. Vituperanda est illa ξενομανία, quæ tanquàm altera Circe studiosos dementat; vt ne vnquàm cupiant redire domum. *Turpe est*, inquit noster Mutius, *Ius ignorare in quo versamur*: sed adhuc multò est turpius, nos & in Patriâ, & Domi, exules videri atque peregrinos. Sicque olim Romæ, res omnes singulorum Annorum; Pontifex Maximus litteris mandabat, afferebatque in album, & proponebat tabulam domi; potestas vt esset Populo cognoscendi. Valerius Maximus, de antiquis Romanorum loquens institutis: *Maiores natu*, inquit, *in conuiuiis ad tibias, egregia Superiorum opera, carmine comprehensa pangebant; quò ad ea imitanda Iuuentutem redderent alacriorem.* Dein exclamat: *Quas Athenas? quam Scholam? quæ alienigena studia, huic domesticæ disciplinæ prætulerim?* Fuisse hanc Ingenuorum adulescentum primam Institutionem, Vergilius indicat, in Genethliaco Salonini:

Iac. Magna Britan. Rex. in Instit. Reg. libr. 2. f. m. 98.

Val. Forster. d. Iurisd. Roman. par. 2. ad Legem Numa 4. n. 29. f. m. 332.

At simul Heroum Laudes, & facta Parentum
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere Virtus.

Eclog. 4.

Non dissimilem fuisse morem Veterum Germanorum, Tacitus est testis. Historiam ergò rerum Germanicarum non imbibisse, turpe est homini Germano. Turpe est bono Ciui, seriem rerum gestarum in sua Patriâ non esse perscrutatum; Historiam sui Principis, nec non Amicorum, Vicinorum & Inimicorum eius, haud in numerato habere; consuetudinem Senatoriam nescire. Disciplinam Reipub. iura Sociorum, Fœdera, Pactiones, caussam Imperii non cognouisse. Rectè Liuius: *Ad illa*, inquit, *mihi pro se quisque acriter intentet animum, quæ vita; qui mores fuerint: per quos Viros, quibusq; Artibus, domi, Militiaq;, & partum & auctum sit Imperium. Labente deinde paulatim Disciplinâ, velut dissidentes, primò mores sequatur animo: deindè vt magis magisq; lapsi sint, tum ire cœperint præcipites; donec ad hæc tempora, quibus nec Vitia nostra, nec Remedia pati possumus* (in quâ sanè nos itidem periodo versamur) *peruentum est.*

in pr. lib. 1.

Fieri non poteſt,vt prudenter & feliciter Publicam Rem gerat,hęc qui neſcit. Itaque quod præclarus auctor Diodorus Siculus,inHiſtoriarum neglectionem, publicarum calamitatum confert cauſſam:quòd nimirum,cùm tot aduerſis caſibus homines vrgeantur, & in eoſdem toties incurrant; nec Lectione & conſideratione Exemplorum erudiantur. Eidem nos negligentiæ,iure merito attribuere poſſumus; quòd noui mores, noua gubernãdi ratio ſuppullulat: quia nempe vetera ignorantur. Infelix illa Reſpublica eſt, quæ vel rerum à ſe geſtarum memoriâ caret: aut vera de ſe dici veretur.

LXII. Sed iam tempus nos monet, vt vel tandem ad ipſius Iuſtitiæ properemus, & deueniamus Ædes Sacras. Sanè qui hâc quam monſtraui, incedit viâ; qui hâc, quam dixi, Peregrinationis impensâ, atque itineris ſubſidio eſt munitus; per hortum qui tranſit Philoſophiæ: hic ab inſtituto haud aberrabit, huiſc comiter excipiet Myſtagogus, Templique cuſtos. Qui tamen ad limen ſic edicit:

Odi prophanum Vulgus & arceo.

Qui primo aditu veſtibuloque Impios exeſſe iubet. Ex hoc Templo acutè reſonanteOraculo Papiniani:*Summam rationem eſſe,quæ pro Religione facit.* Grauiter Minutius Felix: *Niſi Diuinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſcius es Humanitatis: nec poteris pulchrè gerere rem Ciuilem,niſi noueris hanc communem omnium Ciuitatem.* Pietas ad omnia vtilis eſt:& in Conſiliis dandis, Publicâque re adminiſtrandâ,Principium,Finem & Medium obtinere debet. *Caput Sapientiæ,* vt Regius canit Pſaltes, *Reuerentia eſt Iehouæ.* Eſt enim Pius ſicut arbor, plantata ad riuos aquarum, quæ fructum edit in tempore ſuo; & cuius folium non decidit:ideo proſperabitur quicquid facit. Ex contrario,humana Sapientia, quæ Piis eſt bona,Peccatoribus conuertitur ad malum. Impii prudentia, manus & inſtrumentum Diaboli eſt: eius deliberationes, ſunt ſicut gluma,quam diſpellit ventus. Non mel ſed venenum, in cerebro Impii,ex Prudentiâ ſeculari progeneratur:

Lib. aduerſ. gent.

Pſal. 1.

Impia ſub dulci melle venena latent.

Finis Virtutum Charitas:Principium Pietas eſt.Huius etiam VirtutisMaieſtatem, Vetuſtas gentilis multùm admirata,eandem ſæpiſſimè laudibus inſignibus deprædicauit. An non piè Plato? *Hic tibi ſit propoſitus Finis;vt Dei cultu, & vitæ puritate, optatum tandem*

In Epinom.

exitum

exitum consequâre. Alibi exclamat: *Summa apud homines Virtus est, Pietas erga Deum.* Quàm rectè Seneca: *Necesse est Virum bonum summæ erga Deum esse Pietatis.* Mercurius ille Termaximus: *Vna,* ait, *custodia Pietas. Pium enim Virum, non malus Genius, non Fatum ipsum deuincit. Deus eum liberat, eripitq; ex omni malo.* Iamblichus: *nulla est Via alia, quâ ad Felicitatem eatur, quàm Pietas.* Epictetus: *Si Deum,* inquit, *ritè innocaueris, futurum est vt per Angelos ipsius, eo iubente admoneâre.* *In Timæo.*

LXIII. Pietas omnium Virtutum perfectio est & custos: Iustitia sine Pietate, Crudelitas; non est Æquitas sine Bonitate. Vna hæc est Virtus, non quam Mundus admiratur, sed quæ Hominem Beatum facit: ad illa quæ ducit Bona, vbi omnia erunt quibus ineffabiliter delectemur. Quam Beatitudinem quoniam Philosophi non videntes, credere noluerunt; aliam in hoc seculo falsissimam fabricare sunt conati: quanto superbiore, tanto mendaciore Virtute. Ipsum rectè viuere, non nobis est ex nobis: nisi credentes adiuuet & orantes, qui & ipsam Fidem dedit; quâ nos ab illo adiuuandos esse credamus. Quid facere volumus cùm perfici cupimus, nisi vt Caro aduersus Spiritum non concupiscat; nec sit in nobis hoc vitium, contra quod Spiritus concupiscit? Hoc autem in hâc Vitâ quamuis velimus, quoniam facere non valemus: id saltem in adiutorio Dei faciamus; ne Carni aduersus Spiritum concupiscēti, Spiritu succumbente cedamus, & ad perpetrandum Peccatum, nostrâ consensione pertrahamur. Quamlibet videatur Animus corpori, & Ratio vitiis laudabiliter imperare: si tamen Deo Animus & Ratio ipsa non seruit, sicut sibi seruiendum esse ipse Deus præcepit, nullo modo corpori, vitiisq; imperat rectè. Virtutes proindè quas sibi videtur habere, per quas corpori & vitiis imponit Leges, omnes & singulas nisi retulerit ad Deum; etiam ipsæ, Vitia sunt potiùs, quàm Virtutes. Sicut non est à carne, sed super carnem, quod carnem viuere facit: sic non est ab Homine, nec ex humanâ Naturâ, quod hominem beatè viuere facit. Mediator Christus est: Medium hoc apprehendimus Fide; retinemus Pietate. Corpori, assiduâ ni manu suppeditaueris alimenta; *Augustin. 19. de Ciuit. Dei. 4.* *August. d. Lib. 19. c. 25.*

concidet exiguo tabescens tempore: ——

Ita pariter,

Deficiet succo vitali cassa, ministres
conditos Menti, ni Pietate cibos.

Omnis

Omnis mox Philosophica Penus, cano situ obducetur, statimque prærancida euadet; hoc ni Sale aspergatur. Non itaque Humanæ intra Sapientiæ (nimiùm certè vanæ atque incertæ) consistere limites, sed vltrà progredi debemus: & quâ par est diligentiâ sollicitudineque perquirere ea, quæ Diuinitùs nobis de Cœlo tradita fuerunt. Pietas omnibus lucem adfert.

Ant. Fayus Embl. f. 131.

Diuitiæ, Doctrina, Genus, præstantia formæ,
In se non solidæ munera laudis habent:
Lucida sed fient, Pietas si vera, calensq;
Numinis, hæc nunquàm non comitetur Amor.

Philosophia admirationem Dei docet, non amorem: stuporem & cognitionem quandam inducit, non coniunctionem. Accensenda est ea Dei donis, egregiè quibus exornamur, non autem sanctificamur. Rom. 1. v. 18. Iam indè à condito Mundo, ex iis quę fecit, mente perpensa videntur inuisibilia Dei, & occulta: eius videlicet tum Potentia, tum Diuinitas æterna. Sed Deum vt Deum glorificare, eiq; gratias agere, non nisi Pietas docet, nostraque Religio pia. Hæc ne Sapientes vani fiant in ratiocinationibus suis; ne Stulti efficiantur, efficere potest. A Rationabilibus omnibus capitur quidem D. Bernh. s. d. con- Deus per cognitionem: sed eum Boni tantùm capiunt etiam per amorem. In solis Bonis ita est, vt sit cum ipsis propter concordiam Voluntatis. *Studeamus*, quod admonet Apostolus, *comprehendere Deum cum omnibus Sanctis.* Comprehendere dicit; non, Cognoscere: vt scilicet non contenti scientiæ curiositate; totâ sed curâ fructui inhiemus. Non in Cognitione, Fratres, est, sed in Comprehensione. Non autem Disputatio, sed Sanctitas comprehendit; si quo modo tamen comprehendi potest, quod comprehensibile nō existit. At nisi posset, non dixisset Apostolus, vt comprehendamus cum omnibus Sanctis. Sancti ergò comprehendunt. Quæris quomodo? Si Sanctus es, comprehendisti, & nosti. Si non: esto, & tuo scies experimento. Sanctum affectio sancta facit, & ipsa gemina: Timor Domini sanctus, & sanctus Amor. His Anima perfectè affecta, veluti duobus quibusdam brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet. Priusquàm appareret Dei humanitas; eius latebat benignitas. Apparuerat antè Potentia in rerum Creatione; apparebat Sapientia in earum Gubernatione: sed Misericordiæ benignitas, maxumè apparuit in Humanitate. In quo enim magis commendare poterat Benignitatem suam, quàm suscipiendo

Carnem

Carnem meam? Quid tantoperè Misericordiam eius declarat, quàm quòd ipsam Miseriam suscepit. Omnes sanè maxumè Fatuos iudicamus, qui Mundanâ Sapientiâ inflati, nunquàm se in Spiritum colligunt, & Meditationibus eiusmodi piis, recreantur, excitantur, perficiuntur. Qui haud intùs & in cute noscunt: Mundum non esse diligendum, nec quicquàm quod est in eo; in illo non esse Patris charitatem, qui diligit Mundum. Non à Patre, sed ex ipso Mundo esse, carnis cupiditatem, lubidinem oculorum, vitæque fastum: Mundum autem præterire, & cupiditates ipsius. *1. Iohan. 2. v. 15. &c.*

LXIV. Idcircò cùm Philosophia, ac omnes Morales & Intellectuales, quas illa promouet Virtutes, per se quidem bonæ; attamen personam quatenus Deo non placentem ingrediuntur, fætorem contrahant; nec nisi Pietate condiantur & purificétur, completæ Virtutes: splendida sed potiùs (quod iam suprà ex D. Augustino docuimus) sint peccata. *Anshelm. ad c. 14. Epist. ad Rom.*

Omne etenim Pietatis opus, nisi semine rectæ
Exoritur Fidei, peccatum est. —— *Prosper in Epigram.*

Si in Gentilibus venerabilis Virtutum imago plurimarum, vana facta est in ratiocinationibus suis; si Gentiles tradidit Deus in Mentem omnis Iudicii expertem, vt facerent quæ minimè conuenirent: quænam quæso speranda est Reipublicæ Salus, de illis, qui Iesu Salutiferi cognitionem (quæ non in professione, sed Fide, & agniti Boni consistit imitatione) vel vltrò repellunt; vel Deum ore confitentes, in corde suo non esse Deum, insipienter & stultè dicunt?

Odi qui Fidei teneat cùm dogmata sanæ,
Non tamen is Fidei, iungere curat opus.
Plus odi, in medio qui cùm versetur ouili,
Clàm tamen innocuas est lupus inter oues.
Omnibus his odi grauiùs, qui Numinis expers,
Nomine prudentis se tegit Oeconomi.

Quæritis, quid hodiè Respublicas perdat, Ciuitates deleat, Subditos affligat? cur nostra Consilia, raró exitus sequatur, quem optamus? Viam tentamus Humanam, Machinas adhibemus quas Ratio profana subministrat: cui Deus semper pudorem imponere, & vt illa sui semet pœniteat tandem, satagit procurare. Sine Deo qui consultat; Laborem concipit, & parturiet Vanitatem. *Filii desertores*, dicit Dominus, *vt faceretis consilium, & non ex me. Ipsi* *Esai. 30. v. 31.*

ædificant, & ego destruam, & vocabuntur terminus improbitatis; &
Maleaci. 1. *Populus cui vsq; in seculum indignor. Per Deum transiliendus est mu-*
Psal. 18. *rus, transcurrenda turma.* Nunc verè in eo viuimus Seculo, de quo
VVolfius, memorab. 2. f. 78. Diuus Lutherus loquutus est quondam: *Adest tempus,* inquiens, *olim prædictum, quòd post reuelatum Antichristum, essent homines futuri, qui sine Deo viuerent; vnusquisq; secundum suas concupiscentias & illusiones. Nam Papa fuit supra Deum: nunc sine Deo omnes agere volunt. Et cum à Legibus Papæ liberi sint; volunt etiam à Lege Dei liberi esse: nihil nisi* POLITICA *sequi. Sed dum nos fingimus, illos abesse longiùs, de quibus talia sint prædicta: nos ipsi sumus, qui talia facimus.* Veneramur Lactantii dictum: *Philosophia non nocet, sed plurimùm prodest: si Animus Religione sit imbutus.* Idem de Iurisprudentiâ nostrâ dici volo: hanc non nisi in pio pectore sinceram, bonam; malesanæ verò Menti, idem quod gladius in manu furiosi
Auct. ipsius Vitæ. esse. Vani, qui cum Cuiacio: *Religionem non pertinere ad Edictum Prætoris,* euomunt. Vel, quibus Viglii arridet apophthegma: *Bo-*
Meteran. 6. ad fin. *num Iureconsultum, malum Christianum esse.* In cassum laborant omnes, sibi qui persuadent; vllam aliquam laudabilem, & Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilem scientiam, Ingenii duntaxat exercita-
1. Sam. 2. v. 3. tione: non etiam continenter per Orationes à Deo comparari; qui solus Dominus est scientiarum.

LXV. Quin & quædam arctior quàm cum aliis Disciplinis, Iurisprudentiæ nostræ, cum ipsâ Theologiâ (illâ nempe Pietate, quæ perita est cum ratione de rebus Diuinis loquendi) cognatio intercedit. Est namque Decalogi tabula prima, regula pietatis, al-
i. d. Nupt. c. 8. 10. 11. & 14. tera charitatis. *Et nostra est secunda tabula, quàm nos Theologis meliùs tractare quimus:* vt scribit Albericus Gentilis. Et idem: *Periti Legum, sunt peritiores in tabulâ secundâ.* Ex Theologiâ quoque, Constitutionum suarum caput primum, de summâ Trinitate & Fide Catholicâ deprompserunt Imperatores: imitantes in eo Veteres Iureconsultos; quos ab eâ parte quæ de Sacris & Sacerdotibus erat, tractandi Iuris initium fecisse, auctor est Cicero, de Legibus libro secundo. Satis superque euincit Primus Codicis Liber, aliæque studii nostri innumeræ Sanctiones, quàm peritum in Iure Diuino, oporteat esse Iureconsultum. Ius Pontificium, quod magnam Theologiæ partem habet, iure nostrum est; & ex eo cluemus Iuris vtriusque Doctores. Vniuersum Ius Ecclesiasticum seu Sacrum, nostræ est scientiæ obiectum. In Populo Iisraëlitico, Legis pariter

Docto-

Doctores, sed & instar Iureconsultorum erant Leuitæ: & tunc pro Theologiæ membro, Iurisprudentia habebatur. Apud Romanos itidem, coniuncta olim fuit scientia Diuini & Humani Iuris. Primitùs enim apud Pontificum Collegium, erant Legum actiones. Ius Ciuile per multa secula, inter Sacra ceremoniasque Deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus (pariter vt apud Hebræos) notum fuit. Vtriusque item Iuris periti erant prisci Prudentes, & ab illâ peritiâ passim commendantur. Nullus in pretio habitus fuit Iureconsultus, omnia qui non Iura & Humana & Diuina, cognitione fuisset complexus. Docebant iidem nostri, quibus hostiis, quibus diebus, quo ritu, ad quæ tempora essent facienda Sacra: quæ Sepulchrorum & monumẽtorum Iura, quę iustorum Funebrium sollemnitates. Maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex esset Pontifex & Sacerdos: Ipsique Imperatores Romani, ferè semper Pontifices Maxumi simul erant.

1. Paralip. 23. v. 4. & c. 26. v. 29.

Val. Forster. d. Iurisd. Rom. part. 2. f. m. 306.

Gothofr. ad l. 10. d. Iust. & Iur. Donell. 2. com. 4. Bercholt. Inst. de Iust. & Iure. §. Iurisprudentia.

LXVI. Sed iam fausto omine, Limen transcendamus. Sanè non in primo aditu vestibuloque diutinè hærendum,

Nec deside tutum est languere morâ. ——

Haud præter rationem Cicero scribit: *Eam Vitam quæ à regendis Ciuitatibus, totam se ad cognitionem transfert, propter tranquillitatem, & propter ipsius Scientiæ suauitatem (quâ nihil est hominibus iucundius) plureis semper quàm vtile fuit Rebuspublicis, delectâsse.* Et paulò pòst: *Quare istos sine vllâ contumeliâ dimittamus; sunt enim & Boni Viri, & quoniam sibi ita videtur, Beati: tantumque eos admoneamus, vt illud etiamsi est verissimum, tacitum tamen, tanquàm Mysterium teneant; quòd negant versari in Republicâ, esse Sapientis. Nam si hoc nobis, atque optimo cuique persuaserint; non poterunt ipsi esse, id quod maxumè cupiunt, otiosi.* Præstantissima res est Philosophia; non potest non iucundissimum esse studium Philologiæ: sed ea vulgi vsibus non sunt accommodata; non Aulicis negotiis congruentia reputantur. Vnicum & aptissimum instrumentum est Iurisprudentia nostra; quo quæ nos Sapientiæ studium docet, Reipublicæ commodare queamus: eoque intuitu, vera non simulata Philosophia indigitatur. Et ipsum ergò nunc ingrediamur Iustitiæ Templum. Vbi primò omnium nos admonet Vlpianus, duas huius Studij esse Positiones (Ita in porticibus Stoicorum, quæ ab aliis Genera & Species; Typi, hoc est, sedes ac situs vocabãtur) Publicum nimirũ, atque Priuatum. Eò, quòd publicè quædam, quædam priuatim vti-

3. d. Orat.

l. 1. d. Iust. & Iur.

Cuiac. ad l. 115. d. Verb. Sign.

lia sint: & Ciuilis Iustitiæ vis, ac vsus; partim in hominum Societate tuendâ, partim exerceatur in Iudiciis & in Foro. Publicum esse Ius (idem nos edocet Vlpianus) quod ad Statum cuiusque Reipublicæ spectat: hoc est, de iis quod pertractat rebus, sine quibus nec constitui, nec Politia constituta seruari potest. Quippe Status est, quo res stat, nec sine eo consistit. Priuatum censeri; quod ad Singulorum pertinet vtilitatem; quoque vtimur in dirimendis controuersiis Priuatorum. Publicum Ius in Sacris, in Sacerdotibus, in Magistratibus consistere. Nempè sinu suo fouere; Ciuitatum constitutionem, summorum honorum distributionem. Rerumpublicarum Instituta; eaque contra internos & externos hostes, sarta tecta seruare. Iuris Pontificii, Sacri, Senatorii, omnis Antiquitatis, Iuris Sociorum, Fœderum, Induciarum, Pactionũ; caussarum potestatisque Imperii, & artis Reipublicæ regendæ, peritiam profiteri. De Connubiis Magnorum Regum, de Dote Filiarum constituendâ; de Legationibus, de Præfecturis & Reipublicæ Procurationibus; de assignandâ Patrimonii parte: de Electione, de Successione Regum, Ducum, Principum; de Ducatibus diuidendis vel non diuidendis; de Liberis defuncti Regis: de Vectigalibus, de administratione, curâ Iureque Fisci; de Religione, Scholis, &c. differere atque disputare.

Donell. 2. com. 5.

LXVII. Sanè amplissimum Iureconsultorum munus, arctissimis & angustissimis finibus, quasique cancellis concludi, perperam quidam opinãtur; tantùm in componendis stipulationum ac Iudiciorum formulis, occupatum esse: tenere se scientiâ respondendi & cauendi de stillicidiorum ac parietum iure; tractare de aquâ pluuiâ arcendâ, de finibus regundis, de cloacis, & huiusmodi reliquis, quæ non ita magni ad Rempublicam sunt momenti, & Pragmaticorum tamen munus omninò concernunt. Humiliora sunt hæc certè, quàm quæ à Iurisprudentiâ & Iureconsultis expectari deceat sola. Non enim Causidicum nescio quem, neque Proclamatorem, aut Rabulam conquirimus hoc sermone nostro; sed qui in Republicâ versari possit, cui certè publica quoque Iura, quæ Imperii atque Ciuitatis propria sunt, nota esse debent. Quid Chirurgus, & Pharmacopola, respectu Medicorum; id est Iuris non nisi priuati gnarus, Vniuersali collatus Iureconsulto: horum illi Mancipia esse comperiuntur. Et ideoque Censitores isti, qui ad duras Iuris priuati cautes, religare Iureconsultos audent; non istis dignos

Cicero d. Oratore. f.m. 182.

gnos

gnos catenis: magnam Iurisprudentiæ, atrocem Iustitiæ, ipsiusque Sacerdotibus iniuriam inferre cognoscuntur. Profectò qui hæc tãtùm curæ esse dicunt Iurisprudentiæ Magistris: an Emptionis tabulæ legitimè sint confectæ? an pro haustu Confessoria detur? an Testamentum noctu conditum, non accensis tribus candelis sit nullum? & quæ sunt aliæ quæstiunculæ Fori Declamatorum. Haud prorsùs aliud hi mihi facere videntur, ac olim de Socrate, temporis caussâ finxit,

Hocq; lenes Nebulas Actææ effuderat Vrbi,
Salsus Aristophanes. ——

illum scilicet disquirere, anxieque in omnem partem disputare;

Quot aliquis Pulex saltaret pedes suos? *Aristoph. Nubib.*
Vtrum statueret Culices ore sonum edere,
An podice? ——.

LXVIII. Iureconsultis destinatam præripiunt Laurum, qui cum iis non modò acerbè ac duriter; sed & adeò iniquè agunt, vt ipsorum agris & latifundiis id detrahant, quod possessoribus alienis adiicere quirent: & nempè, si Diis placet, quandam aliam Scientiam nouam, quam Politicen recentiorem indigitant; à Iuris & Iustitiæ prudentiâ alienam, separatamque effingere moliuntur. Iureconsultorum est interpretari Iura, & non tantùm de Iure Priuatorum, verùm & de Publico respondere: in vtroque Æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito secernere; de Magistratibus, de muneribus & honoribus, de Sacris, deq; aliis quamplurimis, quid obseruandum, ecquid statui oporteat, diiudicare. Vnam tantùm Iurisprudentiæ, eamque minùs nobilem & præstantem tenet Positionem; qui peritus est Legum & Consuetudinis eius, quâ priuati vtuntur in Ciuitate, nec vsum & studium suum contulit ad Rempublicam moderandam. Quomodò enim Rector, & Consilii Publici auctor haberi debet Iureconsultus, qui quibus rebus Reipublicæ vtilitas augeretur, salusque Populi pararetur, est ignarus? & ii demum qui Publicis Officiis adhibentur, quantùm sibi huius Studii neglectio, nocumento & obstaculo sit, hoc intelligunt nimis sæpè serò.

LXIX. Neque etiam in Iustinianeâ, quâ vtimur, Legislatione, Priuatum solummodò Ius; verùm & Publicum continetur. Primus namque Pandectarum Liber, de Magistratibus est. Primus Liber Codicis de Sacris, & Sacerdotibus & Magistratibus.

Vltimus Pandectarum, & tres Codicis Posteriores Libri, nil ferè non ad Publicum Ius quod referri queat, complectuntur. Multa alibi, & præsertim in Constitutionibus Principum, passim de iure Publico cauta reperiuntur: vt in Descriptione vtriusq; Iuris, Germanus Cusinius ordine recenset. Hûc spectant Politicæ omnium locorũ Ordinationes: Land- vnd Stättordnungen. Nec enim Iureconsulti inuoluuntur voluminibus Iustiniani: vt nec Libris Galeni Medici, non Aristotelis Philosophi concluduntur. Haud inscientes olim fuerunt Iuris publici, si qui Iureconsulti. Post latas XII. Tabularum Leges, non hi se ad respondendum de Iure applicuerunt, in vmbris qui scholarum per vitæ æuum delitescebãt: sed amplissimi, primæque dignitatis Viri. In eorum disciplinam se dabant Iuuenes Illustrium familiarum, summas qui Dignitates & Magistratus ambiebant: non parùm enim Candidatis proderat, operam in cauendo & consulendo Ciuibus præstitisse. Non erant alii qui Rempublicam gererent, & eius benè administrandæ tenerent rationem; alii qui Iudicia & Iura priuatorum tractarent: sed iidem sæpiùs erant, qui in Senatu consilia Reipublicæ, Domi verò Ciuibus suis dabant. Itaquè, vt apud Græcos, infimi homines mercedulâ conducti, in Iudiciis Oratoribus ministros se præbebãt; qui apud illos πραγματικοὶ vocati fuêre: sic in Romanâ Ciuitate contrà, amplissimus quisq; huic operi vacare solebat: hocque subsidiũ statim ab adulescentia sibi comparârunt; non solùm ad causarum vsum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis. Titus Aristo, cuius grauitatem, Litterarum & omnium bonarum artium cognitionem, inprimisque Iuris & publici & priuati notitiam, ita laudat Plinius Iunior, vt admiretur; vt præconium illud, Idea & species esse possit Boni probique Iureconsulti: hic, inquam Aristo, vt & Neratius Priscus, à Consiliis fuêre Imperatorum optimo Traiano. Nec infrequens opinio fuit, id animi fuisse Traiano; vt Neratium, non Adrianum, relinqueret successorem, multis in hoc consentientibus amicis. Adrianus cùm iudicaret, in Consilio habuit, non Amicos suos aut Comites solùm; sed quoque Iureconsultos, & præcipuè Iul. Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliosque: quos tamẽ probasset Senatus omnis. Antoninus Pius, vsus est Iurisperitis, Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello & Iaboleno. Pescennius Niger intimauit; vt Assessores in quibus Prouinciis assedissent, in his admini-

Lib. 2.

Cicer. 1. d. Orator. f. m. 182. Bernhard. Zieritz. in Commẽtatiuncula de Princip. prærogatiua. B. 2. & multis seqq. Adde VVaremund. de Erenberg. medit. pro Fœderib. 1. c. 1. n. 48. &c. & n. 198. &c. Chabot. 2. disp. c. 1. f. 180.

1. Epist. 22.

l. vlt. si quis à par. manumiss.

Spartian. Adrian.

Capitolin.

administrarent: quod Seuerus posteà, & multi deinceps tenuerũt. Æmilium Papinianum, illum qui iuris Asylum nominari, & doctrinæ Legalis thesaurus meruit dici; â Seuero Imperatore sublimissimâ Prætorianæ Præfecturæ dignitate decoratum fuisse constat. Domitius Vlpianus, sui temporis Cato, & quem Heliogabalus, vt bonum virum remouit, Alexandri Seueri Imperatoris initio Tutor; posteà Præfectus tam annonę quàm Prætorii, Consiliarius & Magister Scrinii, hoc est, primus à Consiliis fuit. hunc summo coluit honore Alexander, hunc ab irâ Militum, obiectu Purpuræ suæ sæpiùs defendit: atque hic ideo summus Imperator fuit, quòd illius Consiliis præcipuè Rempublicam administrârit. Nec tunc, ferè vt hodiè fieri solet, in Vno omnia reposita fuerunt: præter Vlpianum etenim, Imperatori à Consiliis erant; Fabius Sabinus, Ælius Gordianus (Gordiani Imperatoris pater) Iulius Paulus Iurisperitissimus, Claudius Venatus orator amplissimus, Pomponius Legum scientissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphoninus, Metianus, Celsus, Proclus, Modestinus: qui omnes Iuris professores, Discipuli fuerunt splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris socii ac familiares. Non vllam is Constitutionem sine viginti Iurisperitis, & doctissimis ac sapientissimis sacrauit viris: & indè eius, quas de Iure Populi Fiscique infinitas sanxit Leges, moderatæ fuerunt omnes. Hi sanè cuncti, aliique quamplurimi Iureconsulti, peramplis, illustribusque semper Dignitatibus functi, necesse est vt callentissimi fuerint Publici Iuris: etsi de eo, non passim interrogantibus responderint, vt de Priuato Iure. Quâ de re audiamus Ciceronem: *Ego memini,* inquit. *summos fuisse in Ciuitate nostrâ viros, qui Ius Ciuile interpretari Populo, & respondere soliti sint: sed eos magna professos, in paruis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum Ius Ciuitatis? quid autem tam exiguum, quàm est, munus hoc eorum, qui consuluntur? quanquàm est Populo necessarium. Nec verò eos qui ei muneri præfuerunt, vniuersi Iuris experteis fuisse existimo: sed hoc Ciuile quod vocãt, eatenus exercuerunt, quoad Populo præstare voluerunt.* Et ità verè sese res habet. Publicum nempe Ius,

Non lites tetricas Forumq; triste;

non Controuersias dirimit priuatas: quæ Publicis vt viliores; sic magis certè sunt frequentes.

Spart. Pescen.
Spart. Seuero & Caracall.
Lamprid. Heliogab.
Lamprid. Alex.
Radulph. Fornerius rer. quotid. cap. 10.
1. de legib.

LXX. Sed tamen interim pessimus est Reuardi error; qui Ius

5.Varior. cap.12. de quo hic agimus Publicum, Lege illâ Regiâ, quâ Populus Principi cõtulit omne suum Imperium & Potestatem, penitùs in eundem translatum: & consequenter omnem Publici Priuatiq; Iuris antiquam differentiam abolitam fuisse, temerariè disputat & insipienter. *l.1.in pr.ff. d.Constit.Princ.* Equidem omnis licet Potestas, ac etiam Ius Publicum; Ius nimirum quod antè Populus habebat, & à Populo, Publicum, quasi Populicum denominatum fuit; ad Principem peruenerit illius vigore. Sic enim capio Legis Regiæ verba, Vespasiano dictæ: *Vt quæcunq; ex vsu Reipublicæ, Maiestate Diuinarum, Humanarum, publicarum priuatarumq; rerum esse censebit: ei agere, facere, Ius potestasq; sit, vti Augusto fuit.* Attamen minimè omnium voluit Populus, hoc vt Ius aboleatur, Principisvè libero & exlege arbitrio obscuretur: sed Ius tam publicum quàm priuatum; non certè perdêdi animo, verùm in fide Principis deposuit ac religione: magisque è re sua existimauit, si pro vtilitate communi, vnicè omnium curas laboresq; susceperit Princeps.

LXXI. Romanos Imperatores, tam priuati quàm publici Iuris dépositarios, rariùs de hoc, quàm de illo decernere solitos, haud abnuerim vnquàm. Rempublicam arbitrio suo, quàm Legibus plerique regi maluerunt. De Iure priuatorum constituendo mirificè solliciti; Iuris publici administrationem, nõ Legum cancellis circumscribi voluerunt. Vt & nunc, cùm de Asini prospectu vmbrâvè inter priuatos est bellum, non vnus sufficit Iudex, integer requiritur numerus Adsessorum, Iusta solennia adesse debent: modus si non sit certus vbique habitus, Decreta friuola esse censentur, minimi esse pretii iudicantur. At vicissim de Salute si Populi disceptetur; de Summâ si Reipublicæ agatur, rarò tres, sæpiùs conueniunt duo: plerunque vnus est inter viuentes, qualem Tiresiam, Homerus ait inter mortuos esse. qui

Solus habet mentem, reliquis errantibus vmbris.

Lib. 8.ep 1. Hûc pertinet, quod alibi dicit Plinius Secundus. *Priorum,* ait, *temporum seruitus, vt aliarum optimarum Artium: sic etiam Iuris Senatorii* (publici id Iuris apud Romanos pars fuit) *obliuionem quandam & ignorantiam induxit. Itaq; reducta Libertas* (sub Traiano scilicet, qui etiam hunc Plinium Consulem designauit) *rudes nos & imperitos deprehendit: cuius dulcedine accensi, cogimur quædam facere, antequàm nosse.* Quod & hodiè (sed diuersam ob caussam) multis accidere solet: qui Iuris Publici notitiam non curant, & ignari rerum gerenda-

gerendarum, ad Imperii perueniũnt clauum. *Curiam* (pergit ille) *Iuuenes prospeximus; sed Curiam trepidam; Curiam elinguem: cùm dicere quod velles periculosum, quod nolles, miserum esset. Quid tunc disci potuit? quid didicisse iuuit? cùm Senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur: & modò ludibrio, modò dolore retentus, nunquàm seria, tristia sæpè cènseret. Eadem mala iam seniores, iam participes malorum, multos per annos vidimus, tulimusq́; quibus ingenia nostra, in posterum quoq; hebetata, fracta, contusa sunt. Breue tempus (nam tantò breuius omne, quantò felicius tempus) quo licet scire, quod sumus: licet exercere quod scimus.* Ecce Ius publicum non discere, non docere, didicitum non in vsu habere poss.; Reipublicæ, Tyrannide, periculosissimo Morbi genere, laborantis indicium æstimatur. Ægrotatio ergò atque corruptela est seculi nostri; quòd alicubĩ nil odiosius existimatur, quàm Leges Publicas Imperii Romano-Germanici allegare, & Recessus, reciprocamq́ue obtendere obligationem Statuum, ac Imperatoriẹ Maiestatis: quodq́ue nonnullis in Aulis, Priuilegia & contractus, vix sine Principis, Aulicopoliticorumq́ue offensione, Subditi nominare audent. Iuris Publici prudẽntia, semper in honore fuit Romæ: tum Liberâ stante Republicâ; tum sub Imperatoribus, quibus Salus Reipublicæ fuit cordi. Iureconsultos nunquàm non in Consilium adhibuerunt Principes Boni, & illis (quod iam suprà asserui) administris, Rempublicam gubernârunt. Sic & magnus Imperator Fridericus, non in caussis priuatis modò, sed in publicis Regni, & vsus consiliis, & sententias secutus est nostrorum: Bulgari, Martini, Iacobi, Hugonis & aliorum. *Alb. Gentil. 1. d. Bello. c. 3.*

LXXII. Multa hæc Iura vtraque, communia inuicem habent. Non benè se habet Reipublicæ status, congruis nisi Legibus, rerum priuatarum Iudicia constituantur: nec illa etiam quamuis optimè constituta, diù permanere queunt, nisi in rectè stabilito, & felici publicæ rei statu. Quapropter duo hæc Iura, tractari simul; nec separari debent vnquàm: atque hi in Consilium Principum & Rerumpublicarum sunt allegendi, ambo hæc qui Iura probè nôrint. Potest ille qui in Priuato Iure versatur, Publicum Ius nescire; si nomen tueri nolit Iureconsulti: haud potest qui in Publico, ignorare Ius Priuatum. Iura Sociorum, Fœdera, caussas & constitutiones Imperii, aliasq; Iuris Publici partes omnes, ita addiscendas esse opinor; ne Ius Priuatum negligatur. Quippè non ex Publi- *Vincent. Cabot. 1. c. 1. & lib. 2. c. 1. ac 2.* *VVaremund. ab Erenberg. par. 1. medit. pro fœder. c. 1. n. 126. &c. vt & n. 203. &c.*

cis priuatum; sed Publicum constat ex Priuatis. Necessariò præmittendum est Ius Priuatum: & quia Iuri Publico cum Priuato multa communia; & quia si quid dissidet, id exceptum est de Iure & caussâ Priuatorum: vt ideò priùs de Regulâ, quàm Exceptione agendum esse videatur. Non sciet, nisi qui vtrumque hoc Ius probè cognitum habet; quatenùs Iudicialis illa subtilitas, in Publica negotia minimè cadat: quæ Regulæ non locum habeat in Regnis; quòd stultum sit cum Imperatore Iuliano, agere de Imperio ex Interdicto.

Donell. 2. com. 6. ad fin.

Clapmar. 4. c. 1. & 10. & lib. vlt. c. vlt.

Spartian. Pescen. Nigro.

LXXIII. Quemadmodùm autem ridiculi sæpè numero existunt, totam qui ætatem in scientiis tractandis habuerunt; vel Leges tantùm Iustiniani, & Iura Ciuilia priuata didicerũt: in magnis & præruptis negotiis, quæ parum ponderis habere censentur: totum salutis suæ tabernaculum in negotiis qui priuatis ponunt; ex quorum ratione negotia Publica, & quæ ancipitia sunt, haud est consilium metiri. Et rectè Mauritius Saxoniæ Dux, Carolo V. Imperatori, subtiles quasdam interpretationes, aduersus Philippi Hassiæ Landgrauii liberationem nectenti, exprobrauit: *At ego*, inquit, *te tanquàm Imperatorem, non tanquàm Iureconsultum & Legistam, volo pactiones & fœdera interpretari.* Ita vicissim Politice absque iure Ciuili priuato, circumcisa & amputata, sine honore, sineque apparatu iacebit. Qualis suasor in Consiliis Publicis poterit esse, tot rerum, quibus præcipuè Ciuitas vel Respublica continetur qui sit ignarus? An non deridenda arrogantia erit, in minoribus nauigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes autem, aut etiam maiores gubernare didicisse? Tu mihi cùm in circulo aduersarii stipulatiunculâ decipiâre, ego tibi vllam caussam maiorem committendam putem? Ridiculè insaniunt Politici Noui, vno atque altero Axiomate politico qui tumidi, paucarum quarundam Historiarum lectione turgidi, Reipublicæ gubernacula in manus temerè sumunt: &, dum Iuris Priuati cognitione carent, nec Singulorum rationem habent, Vniuersos miserabiliter perdunt. Eò res hodiè redît, vt Pueri Politici nominari velint. Politicorum eiusmodi disputatiunculæ, generalia tantùm & quædam summatim tradunt, non ad speciem descendunt, de quibus distinctiùs explicent & particularia pressiùs euoluant. Accommodè de Iure Belli disserens, Albericus Gentilis: *Sanè*, inquit, *si peccârunt antiquiores Interpretes, quòd solam, sæpè alienam, Ciuilis Iuris disceptationem huc indu-*

Pierre Matthieu. liur. 7. de l'hist. de Henr. 4. f. m. 715.

Cicer. 1. de Orator. f. m. 178

v. Ioh. Daut. in rep. c. quamuis d. pact. in additi. ad fol. 82. num. 54. quæ additio m. est f. 419.

1. de Iure Belli. 1. f. 4.

induxerunt; peccârunt & isti recentiores, qui nudam Historiarum recitationem attulerunt: de quibus propter varietatem & contrarietatem Exemplorum, item & propter infirmitatem eius Argumenti, quæ plurimùm ab exemplo esse videtur, non Ius aliud facile; non constitues vllo modo istud, quod Naturale ac certum censetur. Exempla & facta expendenda sunt suâ lance, & quasi pondera, sunt suâ trutinâ cõficienda. Nec hæc de Iure Belli solùm, sed & vniuersim de omni Publico Iure, intelligi peruelim. Historiarum, & Politices quam vocant, cognitionem; vel iungi volo vel præmitti Studio Iuris: in iis verò vniuersam Reipublicæ administrandæ Scientiam consistere, autumo minimè.

LXXIV. Ad Ius quidem Publicum distribuendum, Iuris Ciuilis Romani notitia, plurimùm prodest. Antiquitatis effigies est, & imago Reipublicæ laudatæ: quæ in gubernatione Consilia salubria nobis suggerat semper. Haud ea tamen hâc in parte, vel vndique sufficiens; vel Legis Sacrosanctæ & validæ loco, esse potest. Multifariàm etenim Reipublicæ mutato Statu; & nempè Monarchiæ puræ, quæ olim viguit apud Romanos, cùm mixta Reipublicæ successerit species; nemo certè nisi mentis qui caruerit oculis, haud clarè perspicit, Ius quoque ad illum pertinens Statum, iam diu esse quòd abolitum fuit. Leges quippè, & Publicas præsertim, ad Rempublicam accommodandas, non ex contrario ad Leges Rempublicam; haud vno loco monet, & nos in Politicis Aristoteles erudit. Publicum Ius ad Reipublicæ formam, quæ in Ciuitate constituta est, aptari & referri; imò ex ipsâ formâ Reipublicæ sumi debet & diiudicari. Et is itaque solus de Iure Publico disputat ritè, qui & essentialem Reipublicæ cui inseruit perspectã habet formam. Aptè Reipublicæ consilium dat, qui Rempublicam noscit, cui consulere conatur. Ius ex Facto oriri aiunt: in Iure Publico, principem potioremque Facti partem esse puto, Reipublicæ cognitionem. Indeque Ius Publicum quod attinet, non tam Legibus Romanis vtimur, quàm ex iisdem depromptâ Iuris Ratione; non Legum id sustinet vicem; verùm Iuris saltem ex parte suggerit artem. Sed res hæc, ante oculos ponenda est appositione illustris Exempli. Inepti esse videntur omnes, Legi Regiæ (quæ fons & scaturigo est Iuris Publici Romani) in Germaniâ qui locũ esse contendunt. Non enim vt Populus olim Romanus in Imperatores; sic in eosdem hodiè, omnem suam potestatem & Impe-

v. Politica Imperialia, Clarissimi Goldasti. part. 12. Lehman. Chron. Spirens. 1. c. 4.

Omnis mox Philoſophica Penus, cano ſitu obducetur, ſtatimque prærancida euadet; hoc ni Sale aſpergatur. Non itaque Humanæ intra Sapientiæ (nimiùm certè vanæ atque incertæ) conſiſtere limites, ſed vltrà progredi debemus: & quâ par eſt diligentiâ ſollicitudineque perquirere ea, quæ Diuinitùs nobis de Cœlo tradita fuerunt. Pietas omnibus lucem adfert.

Ant. Fayus Embl. 131.

Diuitiæ, Doctrina, Genus, præſtantia formæ,
In ſe non ſolidæ munera laudis habent:
Lucida ſed fient, Pietas ſi vera, calenſq;
Numinis, hæc nunquàm non comitetur Amor.

Philoſophia admirationem Dei docet, non amorem: ſtuporem & cognitionem quandam inducit, non coniunctionem. Accenſenda eſt ea Dei donis, egregiè quibus exornamur, non autem ſanctificamur. *Rom. 1. v. 18.* Iam indè à condito Mundo, ex iis quę fecit, mente perpenſa videntur inuiſibilia Dei, & occulta: eius videlicet tum Potentia, tum Diuinitas æterna. Sed Deum vt Deum glorificare, eiq; gratias agere, non niſi Pietas docet, noſtraque Religio pia. Hæc ne Sapientes vani fiant in ratiocinationibus ſuis; ne Stulti efficiantur, efficere poteſt. A Rationabilibus omnibus capitur quidem *D. Bernh. s. d. con-* Deus per cognitionem: ſed eum Boni tantùm capiunt etiam per amorem. In ſolis Bonis ita eſt, vt ſit cum ipſis propter concordiam Voluntatis. *Studeamus*, quod admonet Apoſtolus, *comprehendere Deum cum omnibus Sanctis.* Comprehendere dicit; non, Cognoſcere: vt ſcilicet non contenti ſcientiæ curioſitate; totâ ſed curâ fructui inhiemus. Non in Cognitione, Fratres, eſt, ſed in Comprehenſione. Non autem Diſputatio, ſed Sanctitas comprehendit; ſi quo modo tamen comprehendi poteſt, quod comprehenſibile nõ exiſtit. At niſi poſſet, non dixiſſet Apoſtolus, vt comprehendamus cum omnibus Sanctis. Sancti ergò comprehendunt. Quæris quomodo? Si Sanctus es, comprehendiſti, & noſti. Si non: eſto, & tuo ſcies experimento. Sanctum affectio ſancta facit, & ipſa gemina: Timor Domini ſanctus, & ſanctus Amor. His Anima perfectè affecta, veluti duobus quibuſdam brachiis ſuis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet. Priuſquàm appareret Dei humanitas; eius latebat benignitas. Apparuerat antè Potentia in rerum Creatione; apparebat Sapientia in earum Gubernatione: ſed Miſericordiæ benignitas, maxumè apparuit in Humanitate. In quo enim magis commendare poterat Benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo

Carnem

Carnem meam? Quid tantoperè Misericordiam eius declarat, quàm quòd ipsam Miseriam suscepit. Omnes sanè maxumè Fatuos iudicamus, qui Mundanâ Sapientiâ inflati, nunquàm se in Spiritum colligunt, & Meditationibus eiusmodi piis, recreantur, excitantur, perficiuntur. Qui haud intùs & in cute noscunt: Mundum non esse diligendum, nec quicquàm quod est in eo; in illo non esse Patris charitatem, qui diligit Mundum. Non à Patre, sed ex ipso Mundo esse, carnis cupiditatem, lubidinem oculorum, vitæque fastum: Mundum autem præterire, & cupiditates ipsius. *1. Iohan. 2. v. 15. &c.*

LXIV. Idcircò cùm Philosophia, ac omnes Morales & Intellectuales, quas illa promouet Virtutes, per se quidem bonæ; attamen personam quatenus Deo non placentem ingrediuntur, fætorem contrahant; nec nisi Pietate condiantur & purificétur, completæ Virtutes: splendida sed potiùs (quod iam suprà ex D. Augustino docuimus) sint peccata. *Anshelm. ad c. 14. Epist. ad Rom.*

Omne etenim Pietatis opus, nisi semine rectæ
Exoritur Fidei, peccatum est. ——— *Prosper in Epigram.*

Si in Gentilibus venerabilis Virtutum imago plurimarum, vana facta est in ratiocinationibus suis; si Gentiles tradidit Deus in Mentem omnis Iudicii expertem, vt facerent quæ minimè conuenirent: quænam quæso speranda est Reipublicæ Salus, de illis, qui Iesu Salutiferi cognitionem (quæ non in professione, sed Fide, & agniti Boni consistit imitatione) vel vltrò repellunt; vel Deum ore confitentes, in corde suo non esse Deum, insipienter & stultè dicunt?

Odi qui Fidei teneat cùm dogmata sanæ,
Non tamen is Fidei, jungere curat opus.
Plus odi, in medio qui cùm versetur ouili,
Clàm tamen innocuas est lupus inter oues.
Omnibus his odi grauiùs, qui Numinis expers,
Nomine prudentis se tegit Oeconomi.

Quæritis, quid hodiè Respublicas perdat, Ciuitates deleat, Subditos affligat? cur nostra Consilia, raró exitus sequatur, quem optamus? Viam tentamus Humanam, Machinas adhibemus quas Ratio profana subministrat: cui Deus semper pudorem imponere, & vt illa sui semet pœniteat tandem, satagit procurare. Sine Deo qui consultat; Laborem concipit, & parturiet Vanitatem. *Filii desertores*, dicit Dominus, *vt faceretis consilium, & non ex me. Ipsi* *Esai. 30. v. 1.*

ædificant, & ego destruam, & vocabuntur terminus improbitatis; & Populus cui vsq; in seculum indignor. Per Deum transiliendus est murus, transcurrenda turma. Nunc verè in eo viuimus Seculo, de quo Diuus Lutherus loquutus est quondam: *Adest tempus,* inquiens, *olim prædictum, quòd post reuelatum Antichristum, essent homines futuri, qui sine Deo viuerent; vnusquisq; secundum suas concupiscentias & illusiones. Nam Papa fuit supra Deum: nunc sine Deo omnes agere volunt. Et cum à Legibus Papæ liberi sint; volunt etiam à Lege Dei liberi esse: nihil nisi* POLITICA *sequi. Sed dum nos fingimus, illos abesse longiùs, de quibus talia sint prædicta: nos ipsi sumus, qui talia facimus.* Veneramur Lactantii dictum: *Philosophia non nocet, sed plurimùm prodest: si Animus Religione sit imbutus.* Idem de Iurisprudentiâ nostrâ dici volo: hanc non nisi in pio pectore sinceram, bonam; malesanæ verò Menti, idem quod gladius in manu furiosi esse. Vani, qui cum Cuiacio: *Religionem non pertinere ad Edictum Prætoris,* euomunt. Vel, quibus Viglii arridet apophthegma: *Bonum Iureconsultum, malum Christianum esse.* In cassum laborant omnes, sibi qui persuadent; vllam aliquam laudabilem, & Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilem scientiam, Ingenii duntaxat exercitatione: non etiam continenter per Orationes à Deo comparari; qui solus Dominus est scientiarum.

Maleaci. 1. Psal. 18. VVolfius, memorab. 2. f. 78. Auct. ipsius Vitæ. Meteran 6. ad fin. 1. Sam. 2. v. 3.

LXV. Quin & quædam arctior quàm cum aliis Disciplinis, Iurisprudentiæ nostræ, cum ipsâ Theologiâ (illâ nempe Pietate, quæ perita est cum ratione de rebus Diuinis loquendi) cognatio intercedit. Est namque Decalogi tabula prima, regula pietatis, altera charitatis. *Et nostra est secundâ tabula, quàm nos Theologis meliùs tractare quimus:* vt scribit Albericus Gentilis. Et idem: *Periti Legum, sunt peritiores in tabulâ secundâ.* Ex Theologiâ quoque, Constitutionum suarum caput primum, de summâ Trinitate & Fide Catholicâ deprompserunt Imperatores: imitantes in eo Veteres Iureconsultos; quos ab eâ parte quæ de Sacris & Sacerdotibus erat, tractandi Iuris initium fecisse, auctor est Cicero, de Legibus libro secundo. Satis superque euincit Primus Codicis Liber, aliæque studii nostri innumeræ Sanctiones, quàm peritum in Iure Diuino, oporteat esse Iureconsultum. Ius Pontificium, quod magnam Theologiæ partem habet, iure nostrum est; & ex eo cluemus Iuris vtriusque Doctores. Vniuersum Ius Ecclesiasticum seu Sacrum, nostræ est scientiæ obiectum. In Populo Iisraëlitico, Legis pariter

i. d. Nupt. c. 8. 10. 11. & 14.

Doctores, sed & instar Iureconsultorum erant Leuitæ: & tunc pro Theologiæ membro, Iurisprudentia habebatur. Apud Romanos itidem, coniuncta olim fuit scientia Diuini & Humani Iuris. Primitùs enim apud Pontificum Collegium, erant Legum actiones. Ius Ciuile per multa secula, inter Sacra ceremoniasque Deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus (pariter vt apud Hebræos) notum fuit. Vtriusque item Iuris periti erant prisci Prudentes, & ab illâ peritiâ passim commendantur. Nullus in pretio habitus fuit Iureconsultus, omnia qui non Iura & Humana & Diuina, cognitione fuisset complexus. Docebant iidem nostri, quibus hostiis, quibus diebus, quo ritu, ad quæ tempora essent facienda Sacra: quæ Sepulchrorum & monumẽtorum Iura, quę iustorum Funebrium sollemnitates. Maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex esset Pontifex & Sacerdos: Ipsique Imperatores Romani, ferè semper Pontifices Maxumi simul erant.

1. Paralip. 23. v. 4. & c. 26. v. 29.

Val. Forster. d. Iurisd. Rom. part. 2. f. m. 306.

Gothofr. ad l. 10. d. Iust. & Iur. Donell. 2. com. 4. Bercholt. Inst. de Iust. & Iure. §. Iurisprudentia.

LXVI. Sed iam fausto omine, Limen transcendamus. Sanè non in primo aditu vestibuloque diutinè hærendum,

Nec deside tutum est languere morâ. ——

Haud præter rationem Cicero scribit: *Eam Vitam quæ à regendis Ciuitatibus, totam se ad cognitionem transfert, propter tranquillitatem, & propter ipsius Scientiæ suauitatem (quâ nihil est hominibus iucundius) plureis semper quàm vtile fuit Rebuspublicis, delectâsse.* Et paulò pòst: *Quare istos sine vllâ contumeliâ dimittamus; sunt enim & Boni Viri, & quoniam sibi ita videtur, Beati: tantumq; eos admoneamus, vt illud etiamsi est verissimum, tacitum tamen, tanquàm Mysterium teneant; quòd negant versari in Republicâ, esse Sapientis. Nam si hoc nobis, atq; optimo cuique persuaserint; non poterunt ipsi esse, id quod maxumè cupiunt, otiosi.* Præstantissima res est Philosophia; non potest non iucundissimum esse studium Philologiæ: sed ea vulgi vsibus non sunt accommodata; non Aulicis negotiis congruentia reputantur. Vnicum & aptissimum instrumentum est Iurisprudentia nostra; quo quæ nos Sapientiæ studium docet, Reipublicæ commodare queamus: eoque intuitu, vera non simulata Philosophia indigitatur. Et ipsum ergò nunc ingrediamur Iustitiæ Templum. Vbi primò omnium nos admonet Vlpianus, duas huius Studii esse Positiones (Ita in porticibus Stoicorum, quæ ab aliis Genera & Species; Typi, hoc est, sedes ac situs vocabãtur) Publicum nimirũ, atq; Priuatum. Eò, quòd publicè quædam, quædam priuatim vtilia

3. d. Orat.

l. 1. d. Iust. & Iur.

Cuiac. ad l. 115. d. Verb. Sign.

gnos catenis: magnam Iurisprudentiæ, atrocem Iustitiæ, ipsiusque Sacerdotibus iniuriam inferre cognoscuntur. Profectò qui hæc tàtùm curæ esse dicunt Iurisprudentiæ Magistris: an Emptionis tabulæ legitimè sint confectæ? an pro haustu Confessoria detur? an Testamentum noctu conditum, non accensis tribus candelis sit nullum? & quæ sunt aliæ quæstiunculæ Fori Declamatorum. Haud prorsùs aliud hi mihi facere videntur, ac olim de Socrate, temporis caussâ finxit,

Hocq; leues Nebulas Actææ effuderat Vrbi,
Salsus Aristophanes. ——

illum scilicet disquirere, anxieque in omnem partem disputare; *Aristoph. Nubib.*

Quot aliquis Pulex saltaret pedes suos?
Vtrum statueret Culices ore sonum edere,
An podice? ——.

LXVIII. Iureconsultis destinatam præripiunt Laurum, qui cum iis non modò acerbè ac duriter; sed & adeò iniquè agunt, vt ipsorum agris & latifundiis id detrahant, quod possessoribus alienis adiicere quirent: & nempè, si Diis placet, quandam aliam Scientiam nouam, quam Politicen recentiorem indigitant; à Iuris & Iustitiæ prudentiâ alienam, separatamque effingere moliuntur. Iureconsultorum est interpretari Iura, & non tantùm de Iure Priuatorum, verùm & de Publico respondere: in vtroque Æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito secernere; de Magistratibus, de muneribus & honoribus, de Sacris, deq; aliis quamplurimis, quid obseruandum, ecquid statui oporteat, diiudicare. Vnam tantùm Iurisprudentiæ, eamque minùs nobilem & præstantem tenet Positionem; qui peritus est Legum & Consuetudinis eius, quâ priuati vtuntur in Ciuitate, nec vsum & studium suum contulit ad Rempublicam moderandam. Quomodò enim Rector, & Consilii Publici auctor haberi debet Iureconsultus, qui quibus rebus Reipublicæ vtilitas augeretur, salusque Populi pararetur, est ignarus? & ii demum qui Publicis Officiis adhibentur, quantùm sibi huius Studii neglectio, nocumento & obstaculo sit, hoc intelligunt nimis sæpè serò.

LXIX. Nequè etiam in Iustinianeâ, quâ vtimur, Legislatione, Priuatum solummodò Ius; verùm & Publicum continetur. Primus namque Pandectarum Liber, de Magistratibus est. Primus Liber Codicis de Sacris, & Sacerdotibus & Magistratibus.

Vltimus Pandectarum, & tres Codicis Posteriores Libri, nil ferè non ad Publicum Ius quod referri queat, complectuntur. Multa alibi, & præsertim in Constitutionibus Principum, passim de iure Publico cauta reperiuntur: vt in Descriptione vtriusq; Iuris, Germanus Cusinius ordine recenset. Hûc spectant Politicæ omnium locorū Ordinationes: Landt- vnd Stättordnungen. Nec enim Iureconsulti inuoluuntur voluminibus Iustiniani: vt nec Libris Galeni Medici, non Aristotelis Philosophi concluduntur. Haud inscientes olim fuerunt Iuris publici, si qui Iureconsulti. Post latas XII. Tabularum Leges, non hi se ad respondendum de Iure applicuerunt, in vmbris qui scholarum per vitæ æuum delitescebát: sed amplissimi, primæque dignitatis Viri. In eorum disciplinam se dabant Iuuenes Illustrium familiarum, summas qui Dignitates & Magistratus ambiebant: non parùm enim Candidatis proderat, operam in cauendo & consulendo Ciuibus præstitisse. Non erant alii qui Rempublicam gererent, & eius benè administrandæ tenerent rationem; alii qui Iudicia & Iura priuatorum tractarent: sed iidem sæpiùs erant, qui in Senatu consilia Reipublicæ, Domi verò Ciuibus suis dabant. Itaquè, vt apud Græcos, infimi homines mercedulâ conducti, in Iudiciis Oratoribus ministros se præbebát; qui apud illos πραγματικοὶ vocati fuêre: sic in Romanâ Ciuitate contrà, amplissimus quisq; huic operi vacare solebat: hocque subsidiū statim ab adulescentia sibi comparârunt; non solùm ad causarum vsum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis. Titus Aristo, cuius grauitatem, Litterarum & omnium bonarum artium cognitionem, inprimisque Iuris & publici & priuati notitiam, ita laudat Plinius Iunior, vt admiretur; vt præconium illud, Idea & species esse possit Boni probique Iureconsulti: hic, inquam Aristo, vt & Neratius Priscus, à Consiliis fuêre Imperatorum optimo Traiano. Nec infrequens opinio fuit, id animi fuisse Traiano; vt Neratium, non Adrianum, relinqueret successorem, multis in hoc consentientibus amicis. Adrianus cùm iudicaret, in Consilio habuit, non Amicos suos aut Comites solùm; sed quoque Iureconsultos, & præcipuè Iul. Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliosque: quos tamē probasset Senatus omnis. Antoninus Pius, vsus est Iurisperitis, Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello & Iaboleno. Pescennius Niger intimauit; vt Assessores in quibus Prouinciis assedissent, in his admini-

Lib. 2.

Cicer. 1. d. Orator. f. m. 182. Bernhard. Zieritz. in Commētatiuncula de Princip. prærogatiua. B. 2. & multis seqq. Adde VVaremund. de Erenberg. medit. pro Fœderib. 1. c. 1. n. 48. &c. & n. 198. &c. Chabot. 2. disp. c. 1. f. 180.

1. Epist. 22.

l. vlt. si quis à par. manumiss.

Spartian. Adrian.

Capitolin.

administrarent: quod Seuerus posteà, & multi deinceps tenuerũt. *Spart. Pescen.*
Æmilium Papinianum, illum qui iuris Asylum nominari, & doctrinæ Legalis thesaurus meruit dici; â Seuero Imperatore sublimissimâ Prætorianæ Præfecturæ dignitate decoratum fuisse constat. *Spart. Seuero & Caracall.* Domitius Vlpianus, sui temporis Cato, & quem Heliogabalus, vt bonum virum remouit, Alexandri Seueri Imperatoris initio Tutor; posteà Præfectus tam annonę quàm Prætorii, Consiliarius & Magister Scrinii, hoc est, primus à Consiliis fuit. *Lamprid. Heliogab.* hunc summo coluit honore Alexander, hunc ab irâ Militum, obiectu Purpuræ suæ sæpiùs defendit: atque hic ideo summus Imperator fuit, quòd illius Consiliis præcipuè Rempublicam administrârit. Nec tunc, ferè vt hodiè fieri solet, in Vno omnia reposita fuerunt: præter Vlpianum etenim, Imperatori à Consiliis erant; Fabius Sabinus, Ælius Gordianus (Gordiani Imperatoris pater) Iulius Paulus *Lamprid. Alex.* Iurisperitissimus, Claudius Venatus orator amplissimus, Pomponius Legum scientissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphoninus, Metianus, Celsus, Proclus, Modestinus: qui omnes Iuris professores, Discipuli fuerunt splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris socii ac familiares. *Radulph. Forner. 4. rer. quotid. cap. 10.* Non vllam is Constitutionem sine viginti Iurisperitis, & doctissimis ac sapientissimis sacrauit viris: & indè eius, quas de Iure Populi Fiscique infinitas sanxit Leges, moderatæ fuerunt omnes. Hi sanè cuncti, aliique quamplurimi Iureconsulti, peramplis, illustribusque semper Dignitatibus functi, necesse est vt callentissimi fuerint Publici Iuris: etsi de eo, non passim interrogantibus responderint, vt de Priuato Iure. Quâ de re audiamus Ciceronem: *Ego memini,* inquit, *summos fuisse in Ciuitate nostrâ viros, qui Ius Ciuile interpretari Populo, & respondere soliti sint: sed eos magna professos, in paruis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum Ius Ciuitatis? quid autem tam exiguum, quàm est, munus hoc eorum, qui consuluntur? quanquàm est Populo necessarium. Nec verò eos qui ei muneri præfuerunt, vniuersi Iuris experteis fuisse existimo: sed hoc Ciuile quod vocãt, eatenus exercuerunt, quoad Populo præstare voluerunt.* *1. de legib.* Etità verè sese res habet. Publicum nempe Ius,

Non lites tetricas Forumq; triste;

non Controuersias dirimit priuatas: quæ Publicis vt viliores; sic magis certè sunt frequentes.

LXX. Sed tamen interim pessimus est Rèuardi error; qui Ius

ariior. cap.12. de quo hic agimus Publicum, Lege illâ Regiâ, quâ Populus Principi cõtulit omne suum Imperium & Potestatem, penitùs in eundem translatum: & consequenter omnem Publici Priuatiq; Iuris antiquam differentiam abolitam fuisse, temerariè disputat & insipienter. Equidem omnis licet Potestas, ac etiam Ius Publicum; Ius nimirum quod antè Populus habebat, & à Populo, Publicum, quasi Populicum denominatum fuit; ad Principem peruenerit illius vigore. Sic enim capio Legis Regiæ verba, Vespasiano dictæ: *Vt quæcunq; ex vsu Reipublicæ, Maiestate Diuinarum, Humanarum, publicarum priuatarumq; rerum esse censebit: ei agere, facere, Ius potestasq; sit, vti Augusto fuit.* Attamen minimè omnium voluit Populus, hoc vt Ius aboleatur, Principisvè libero & exlege arbitrio obscuretur: sed Ius tam publicum quàm priuarum; non certè perdēdi animo, verùm in fide Principis deposuit ac religione: magisque è re sua existimauit, si pro vtilitate communi, vnicè omnium curas laboresq; susceperit Princeps.

in pr. ff. d. Con. Princ.

LXXI. Romanos Imperatores, tam priuati quàm publici Iuris dépositarios, rariùs de hoc, quàm de illo decernere solitos, haud abnuerim vnquàm. Rempublicam arbitrio suo, quàm Legibus plerique regi maluerunt. De Iure priuatorum constituendo mirificè solliciti; Iuris publici administrationem, nõ Legum cancellis circumscribi voluerunt. Vt & nunc, cùm de Asini prospectu vmbrâvè inter priuatos est bellum, non vnus sufficit Iudex, integer requiritur numerus Adsessorum, Iusta solennia adesse debent: modus si non sit certus vbique habitus, Decreta friuola esse censentur, minimi esse pretii iudicantur. At vicissim de Salute si Populi disceptetur; de Summâ si Reipublicæ agatur, rarò tres, sæpiùs conueniunt duo: plerunque vnus est inter viuentes, qualem Tiresiam, Homerus ait inter mortuos esse. qui

Solus habet mentem, reliquis errantibus vmbris.

Lib. 8. ep 1. Hûc pertinet, quod alibi dicit Plinius Secundus. *Priorum,* ait, *temporum seruitus, vt aliarum optimarum Artium: sic etiam Iuris Senatorii* (publici id Iuris apud Romanos pars fuit) *obliuionem quandam & ignorantiam induxit. Itaq; reducta Libertas* (sub Traiano scilicet, qui etiam hunc Plinium Consulem designauit) *rudes nos & imperitos deprehendit: cuius dulcedine accensi, cogimur quædam facere, antequàm nosse.* Quod & hodiè (sed diuersam ob caussam) multis accidere solet: qui Iuris Publici notitiam non curant, & ignari rerum

gerenda-

gerendarum, ad Imperii perueniunt clauum. *Curiam* (pergit ille) *Iuuenes prospeximus; sed Curiam trepidam; Curiam elinguem: cùm dicere quod velles periculosum, quod nolles, miserum esset. Quid tunc disci potuit? quid didicisse iuuit? cùm Senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur: & modò ludibrio, modò dolore retentus, nunquam seria, tristia sæpè censeret. Eadem mala iam seniores, iam participes malorum, multos per annos vidimus, tulimusq́; quibus ingenia nostra, in posterum quoq; hebetata, fracta, contusa sunt. Breue tempus (nam tantò breuius omne, quantò felicius tempus) quo licet scire, quod sumus: licet exercere quod scimus.* Ecce Ius publicum non discere, non docere, didicitum non in vsu habere posse; Reipublicæ, Tyrannide, periculosissimo Morbi genere, laborantis indicium æstimatur. Ægrotatio ergò atque corruptela est seculi nostri; quòd alicubi nil odiosius existimatur, quàm Leges Publicas Imperii Romano-Germanici allegare, & Recessus, reciprocamq́ue obtendere obligationem Statuum, ac Imperatoriæ Maiestatis: quodq́ue nonnullis in Aulis, Priuilegia & contractus, vix sine Principis, Aulico-politicorumq́ue offensione, Subditi nominare audent. Iuris Publici prudentia, semper in honore fuit Romæ: tum Liberâ stante Republicâ; tum sub Imperatoribus, quibus Salus Reipublicæ fuit cordi. Iureconsultos nunquàm non in Consilium adhibuerunt Principes Boni, & illis (quod iam suprà asserui) administris, Rempublicam gubernârunt. Sic & magnus Imperator Fridericus, non in caussis priuatis modò, sed in publicis Regni, & vsus consiliis, & sententias secutus est nostrorum: Bulgari, Martini, Iacobi, Hugonis & aliorum. *Alb. Gentil. 1. d. Bello. c. 3.*

LXXII. Multa hæc Iura vtraque, communia inuicem habent. Non benè se habet Reipublicæ status, congruis nisi Legibus, rerum priuatarum Iudicia constituantur: nec illa etiam quamuis optimè constituta, diù permanere queunt, nisi in rectè stabilito, & felici publicæ rei statu. Quapropter duo hæc Iura, tractari simul; nec separari debent vnquàm: atque hi in Consilium Principum & Rerumpublicarum sunt allegendi, ambo hæc qui Iura probè nôrint. Potest ille qui in Priuato Iure versatur, Publicum Ius nescire; si nomen tueri nolit Iureconsulti: haud potest qui in Publico, ignorare Ius Priuatum. Iura Sociorum, Fœdera, caussas & constitutiones Imperii, aliasq; Iuris Publici partes omnes, ita addiscendas esse opinor; ne Ius Priuatum negligatur. Quippè non ex Publi- *Vincent. Cabot. 1. c. 1. & lib. 2. c. 1. ac 2.* *VVaremund. ab Erenberg. par. 1. medit. pro fœder. c. 1. n. 126. &c. vt & n. 203. &c.*

cis priuatum; sed Publicum constat ex Priuatis. Necessariò præmittendum est Ius Priuatum: & quia Iuri Publico cum Priuato multa communia; & quia si quid dissidet, id exceptum est de Iure & caussâ Priuatorum: vt ideò priùs de Regulâ, quàm Exceptione agendum esse videatur. Non sciet, nisi qui vtrumque hoc Ius probè cognitum habet; quatenùs Iudicialis illa subtilitas, in Publica negotia minimè cadat: quæ Regulæ non locum habeât in Regnis; quòd stultum sit cum Imperatore Iuliano, agere de Imperio ex Interdicto.

Donell. 2. com. 6. ad fin.

Clapmar. 4. c. 1. & 10. & lib. vlt. c. vlt.

Spartian. Pescen. Nigro.

LXXIII. Quemadmodùm autem ridiculi sæpè numero existunt, totam qui ætatem in scientiis tractandis habuerunt; vel Leges tantùm Iustiniani, & Iura Ciuilia priuata didicerũt: in magnis & præruptis negotiis, quæ parum ponderis habere censentur: totum salutis suæ tabernaculum in negotiis qui priuatis ponunt; ex quorum ratione negotia Publica, & quæ ancipitia sunt, haud est consilium metiri. Et rectè Mauritius Saxoniæ Dux, Carolo V. Imperatori, subtiles quasdam interpretationes, aduersus Philippi Hassiæ Landgrauii liberationem nectenti, exprobrauit: *At ego,* inquit, *te tanquàm Imperatorem, non tanquàm Iureconsultum & Legistam, volo pactiones & fœdera interpretari.* Ita vicissim Politice absque iure Ciuili priuato, circumcisa & amputata, sine honore, sineque apparatu iacebit. Qualis suasor in Consiliis Publicis poterit esse, tot rerum, quibus præcipuè Ciuitas vel Respublica continetur qui sit ignarus? An non deridenda arrogantia erit, in minoribus nauigiis rudem esse se confiteri; quinqueremeis autem, aut etiam maiores gubernare didicisse? Tu mihi cùm in circulo aduersarii stipulatiunculâ decipiâre, ego tibi vllam caussam maiorem committendam putem? Ridiculè insaniunt Politici Noui, vno atque altero Axiomate politico qui tumidi, paucarum quarundam Historiarum lectione turgidi, Reipublicæ gubernacula in manus temerè sumunt: &, dum Iuris Priuati cognitione carent, nec Singulorum rationem habent, Vniuersos miserabiliter perdunt. Eò res hodiè redît, vt Pueri Politici nominari velint. Politicorum eiusmodi disputatiunculæ, generalia tantùm & quædam summatim tradunt, non ad speciem descendunt, de quibus distinctiùs explicent & particularia pressiùs euoluant. Accommodè de Iure Belli disserens, Albericus Gentilis: *Sanè,* inquit, *si peccârunt antiquiores Interpretes, quòd solam, sæpè alienam, Ciuilis Iuris disceptationem huc indu-*

Pierre Matthieu. liur. 7. de l'hist. de Henr. 4. f. m. 715.

Cicer. 1. de Orator. f. m. 178.

v. Ioh. Daut. in rep. c. quamuis. d. pact. in additi. ad fol. 82. num. 54. quæ additio m. est f. 419.

1. de Iure Belli. 1. f. 4.

induxerunt; peccârunt & isti recentiores, qui nudam Historiarum recitationem attulerunt: de quibus propter varietatem & contrarietatem Exemplorum, item & propter infirmitatem eius Argumenti, quæ plurimùm ab exemplo esse videtur, non Ius aliud facile; non constitues vllo modo istud, quod Naturale ac certum censetur. Exempla & facta expendenda sunt suâ lance, & quasi pondera, sunt suâ trutinâ cõficienda. Nec hæc de Iure Belli solùm, sed & vniuersim de omni Publico Iure, intelligi peruelim. Historiarum, & Politices quam vocant, cognitionem; vel iungi volo vel præmitti Studio Iuris: in iis verò vniuersam Reipublicæ administrandæ Scientiam consistere, autumo minimè.

LXXIV. Ad Ius quidem Publicum distribuendum, Iuris Ciuilis Romani notitia, plurimùm prodest. Antiquitatis effigies est, & imago Reipublicæ laudatæ: quæ in gubernatione Consilia salubria nobis suggerat semper. Haud ea tamen hâc in parte, vel vndique sufficiens; vel Legis Sacrosanctæ & validæ loco, esse potest. Multifariàm etenim Reipublicæ mutato Statu; & nempè Monarchiæ puræ, quæ olim viguit apud Romanos, cùm mixta Reipublicæ successerit species; nemo certè nisi mentis qui caruerit oculis, haud clarè perspicit, Ius quoque ad illum pertinens Statum, iam diu esse quòd abolitum fuit. Leges quippè, & Publicas præsertim, ad Rempublicam accommodandas, non ex contrario ad Leges Rempublicam; haud vno loco monet, & nos in Politicis Aristoteles erudit. Publicum Ius ad Reipublicæ formam, quæ in Ciuitate constituta est, aptari & referri; imò ex ipsâ formâ Reipublicæ sumi debet & diiudicari. Et is itaque solus de Iure Publico disputat ritè, qui & essentialem Reipublicæ cui inseruit perspectã habet formam. Aptè Reipublicæ consilium dat, qui Rempublicam noscit, cui consulere conatur. Ius ex Facto oriri aiunt: in Iure Publico, principem potioremque Facti partem esse puto, Reipublicæ cognitionem. Indeque Ius Publicum quod attinet, non tam Legibus Romanis vtimur, quàm ex iisdem depromptâ Iuris Ratione: non Legum id sustinet vicem; verùm Iuris saltem ex parte suggerit artem. Sed res hæc, ante oculos ponenda est appositione illustris Exempli. Inepti esse videntur omnes, Legi Regiæ (quæ fons & scaturigo est Iuris Publici Romani) in Germaniâ qui locũ esse contendunt. Non enim vt Populus olim Romanus in Imperatores; sic in eosdem hodiè, omnem suam potestatem & Impe-

v. Politica Imperialia, Clarissimi Goldasti. part. 12. Lehman. Chron. Spirens. 1. c. 4.

rium conferunt Electores, Imperiique singuli Status; sed dissertis verbis, Priuilegia, suasq; reseruāt immunitates. Et nos iam Rempublicam habuimus (eamque non Monarchicam absolutè) cùm Irnerius, Anno Christi 1137. Libros Romanarum Legum, euersâ Melfitanâ Apuliæ Ciuitate, in Bibliothecâ à Pisanis repertos euulgauit. Cuius intuitu apud Lambertum Schaffnaburgensem, plerique omnes, Præsides, Duces, Comitesque Saxoniæ; ad Imperatorem Henricum 4. Sacramento se ei fidem dixisse dicunt: *Sed si ad ædificationem, non ad destructionem Ecclesiæ Dei Rex esse vellet; si suum cuiq; ordinem, suam dignitatem, suas Leges tutas, inuiolatasq; manere pateretur. Sin ista prior temerâsset; se iam Sacramenti huius Religione non teneri: sed quasi cum Barbaro hoste, iustum deinceps Bellum gesturos, pro Libertateq; suâ dimicaturos,* &c.

LXXV. Non sanè multorum Regnorum Rerumpublicarumque, non Reipublicæ Romanæ veteris, exploratam & pertractatam habere satis est, conditionem: sed Iustū & æquum in quæstionibus Publici Iuris, ex Legibus vsuque singularum Prouinciarum, in primis esse consideranda, certum est atque manifestum. Quilibet Populus, non alienis, sed suis Legibus delectatur. *Omnes Populi* (quod pluribus docet Hebræorum eruditissimus Philo) *Leges suas, meliores aliorum Populorum Legibus esse existimant.* Contrà ac faciunt Politici quidam, qui Morum & Reipublicæ, in quam se ingerunt ignari, & Legum fundamentalium nullam habentes cognitionem; de summâ tamen rerum, Statumque Politiæ & Publicum concernentium cōsulere, deliberationemque (& soli nonnunquàm) habere audent.

Scip. Gentil. 3. d. Iurisd. c. 22. ad fin.

…d. Vita Moysis.

LXXVI. Verùm enimuerò, nil morari hìc iuuat: ideoque tendimus hinc vltrà. Non de huius vtriusque Iuris, Politici nempe & priuati scientiâ; non de hâc vniuersali Iurisprudentiâ Cicero est capiendus, cùm de Iure Ciuili scribit: *Omnia sunt posita ante oculos, collocata in vsu quotidiano, in congressione hominum atque in foro; neq; ita multis litteris aut voluminibus magnis continētur: eadem enim sunt elata à pluribus primùm, deindè paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus scripta sunt sæpius.* At nunc consideret quis mihi multitudinem Librorum Iuridicorū, quæ mole suâ ruinam minitare videtur Iurisprudentiæ nostræ! Non vnus Iustinianus, Augiæ hoc stabulum repurgare queat. Nunc Libri explanare Iurisprudentiam qui debebant, Multitudine eandem obscurant: vt

…d. Oratore.

nisi

nisi insigniter peritus iis narrator contingat, periculum sit, ne Lector in iis suffocetur atque mergatur. Rectissime IC. Scæuola, Vir tum Iurisprudentiâ, tum M. Antonini Imperatoris amicitiâ celebris, dicere solitus fuit: *Ius Ciuile vigilantibus scriptum esse, non dormientibus.* Sentiens Iurisprudentiam non sine summo studio percipi posse. Res certè, vsque adeò ea est laboriosa atque subtilis, vt quis etiam post absolutum studiorum cursum, parùm admodùm sit assecutus; & ferè tum demum ineptum se deprehendat, cùm vel ad scribendum & de Iure respondendū calamum arripuerit: ac ignorantiam suam, priusquàm in Forum accedat, aut ad res gerendas animum manumq; applicet, nescire videatur.

l. pupillus. quæ in fraud. credit.

LXXVII. Huius verò vitii atque incommodi, aliquot esse reputo Cautiones prouisionesq;: de quibus ego nunc in præsentiarum paucioribus agam; ne scilicet ad hanc discendam artem, aliâ quoque opus esse quis censeat arte singulari. Iura cognoscendi Methodum, nobis pro Imperio præscripsit Imperator Iustinianus: quam tamen in Studiis non obseruari, Accursius notat. Nec hanc seruare nos possumus hodie, quicquid Ingeniosissimus Contius disputet contra. Cùm alia Scholarum nunc ratio sit: quin & non prorsùs eadem Iuris, quæ olim, existat disciplina, ob Ius Canonicum & Feudale, quæ Ciuili Iustinianeo superuenerunt; & infinitos Interpretum Commentarios, Quæstionesque ab iis pertractatas; quas nostra maxumè interest, nō incognitas habere. Primò omnium, haud vnquàm consultum apparet; vt Studiosus Leges adhuc discens, multis se obruat Libris: sed ad Textus lectionem adhibeat, & inter Doctores habeat delectum. Ante omnia, in Digestis Titulum secundum,* qui est de Origine Iuris: mox Iuris nostri Elementa, quæ præclarâ illâ Iustiniani Oeconomiâ, in Institutionibus tradūtur, & quæ * penitùs nihil Antiquitatis nos ignorare permittunt; vllo sine Scholio (vel quod cōsultiùs forsan est, iunctâ Theophili paraphrasi) cursim perlegat, in Templo nostro Νεοκατηχ...ς quicunque existit. Perlectum ab initio, tum aliquo Commentario (quam ad rem accommodatissimus mihi videtur Borcholti, aut potius Giphanii vel Marcilii labor) adhibito repetat. Si copia præceptoris suppetit priuati; non is tironem multis dictatis remoretur (maiori cum vtilitate hoc præstabunt Publicæ Lectiones) sed literali, quam vocant, interpretatione titulum enodet. Ex ipsoque quem in manibus habet textu, facti quandam speciem

Const. scripta ad Antecess. & ibi Accurs.

1. subsecin. 11.

Parlador. ad fin. libror. rer. quotidian. Fachine. 9. c. vlt. Vulteius in Prolog. Iurispr. Rom.

** Vide quæ dixi supra num. 58.*

** In princ. Inst. de testam.*

formet, discipulo proponat, eiusque Ingenii & Iudicii periculum faciat: hâc quippe ratione, an satis contenta perceperit, explorabit haud difficulter. Non etenim videtur intellexisse, qui puerorum more, ordine collegerit verba, initiaque ac numerum notauerit paragraphorum, aut qui ex superficie speciem, seu vt nunc vocant, memorauerit Casum: sed qui circumstantiis mutatis, rem eâdem aliis verbis traditam agnoscat. His adiungi possunt de Verborum Significationibus, & Regulis vtriusque Iuris, tam Canonici scilicet, quàm Ciuilis, tituli ita vtiles, vt summè necessarii: doctissimis variorum Commentationibus illustrati. Omnia hæc ita suaserim peruolutanda; vt semper Iohannis Caluini, Academiæ Heidelbergensis Professoris, Lexicon maius ad manus sit, & in eo quæ minùs nota occurrunt verba, statim inuestigentur, phrasesque ac Iuris formulæ quàm familiarissimæ Studioso reddantur. Nulla ars, nulla disciplina adeò est infima & abiecta, quæ non, vt ab aliis diuersa subiecta tractat; ita suos quoque proprios habeat loquendi modos, artificiales rerum notas, vocabulorumque significationes, à cæteris disciplinis, ac communi vsu discrepantes. Hoc maxumè Fatum, cum cæteris artibus ac disciplinis commune habet Iurisprudentia nostra. Rhetori Actio est ipsa pronunciatio, Ethico Virtutum exercitium, Iureconsulto Ius in Iudicio persequendi. Gesta & Acta aliud apud Iureconsultos, aliud apud Historicos signant. Et hæc nisi qui nouerit perfectè, haud vnquàm in Iuris nostri conditoribus felicem faciet profectum.

Mercer. 1. opin. 3.

Goedd. d. Verb. Sig. ad rubr.

LXXVIII. Porrò cùm turpe sit, Vtriusque Iuris Doctorem, Leges ac Canones nescire; & turpissimum videatur, Doctorem comparari Necessitati (Legibus quæ carere vulgari prouerbio fertur) Huius etenim cursus, haud secus ac Necessitatis, non rectus, ast semper transuersus erit. Institutionibus idcircò ita cognitis, ad peruestigationē Pandectarum accedat. Sic tamen, vt ante cuiusq; Tituli lectionem, Paratitla Cuiacii & Wesembecii præmittat. Idē postea in Codice facturus; eodem nempè modo, adhibitis Cuiacii in eundem Paratitlis: quo opere à Cuiacio (vt rectè iudicat Magnus Vulteius) nullum elegantius & absolutius est factum. Hæc, propter correctionem quam adhibent antiquo Iuri, necessum est vt subsequantur Nouellæ: quarum sensum Cuiacii vel Ioachimi Stephani, in easdem expositio detegere potest. Consuetudinum Feudisticarum intelligentiam suppeditabit Iohannis Caluini, antè pau-

ante paucos annos edita Iurisprudentia Feudalis: quæ breuibus Notis ipsum declarat & complectitur textum. Canonicum seu Pontificale Ius, strictiùs attingat Studiosus. Initio ab Institutionibus Ioachimi Stephani facto: quas excipiat Decretum, tum Decretales, & quæ sequuntur. Nemo tamen, ni fallor, à Studioso, vt vniuersum legat Iuris Canonici Syntagma requiret; huiusque laboris vicem, Nicolai Frerotii supplebunt Paratitla, seu Synopsis Pontificii Iuris: ex quâ si cognitionem capiet Studiosus, de re ad nostros mores spectante, in aliquâ Distinctione, Caussâ vel Titulo tractari, & ipsum mox subiunget Textum. Quod & in Iure Ciuili, ei qui rem ad finem properat deducere, obseruare licebit: Titulorum maximè de Seruis & Libertinis differentium, aliorumq; minùs vsitatiorum respectu. Præterea, non est vt quem in cursu, Lectionis, Lex vel textus aliquis difficilior (cuius enodationem non apertè suggerant Gothofredi notæ) remoretur. Vt enim omnia protinùs intelligantur, fieri nequit: & verò exercitatissimis etiam Iureconsultis, multa sæpè numero obuia fiunt, quæ non statim intelligentiâ comprehendunt. Magis accuratam Legis alicuius interpretationem, exigente necessitate ex aliis Iuris nostri sedibus petere licebit. Quò Accursii præsertim Glossemata conferre videntur; quæ textus alios vel contrarios vel concordantes, aut etiam ad intellectum Legis proficientes, nunquàm non assignant. Nec inibi ad propositum textum Adnotatio quæ extat, duntaxat est inspicienda: sed per Legum notatarum singulas quas vocant Glossas, transeundum est successiuè, donec vltrà nihil inueniatur. Quod pro arcano venditat Gribaldus; expeditissimamque rationem esse censeo, genuinum Legis alicuius sensum inuestigandi. Nec enim facilè putandum est, Iuris illos Interpretes aliquid in Iure ignorasse; omne qui vitæ tempus in solis Legibus consumsêre, cùm nulla adhuc Glossemata, vel Doctorum Commentaria prostarent. *Gribald. meth. stud. cap. 6.*

LXXIX. Fideli consilio, Philosophicæ quondam familiæ in Academiâ nostrâ columen, Dn. D. Michaël Zieglerus: *Ex singulis artium & disciplinarum discendarum Scriptoribus, vnum saltem, eumq; quantùm iudicare possumus optimum, Studiosis commendandum esse, suadet; strenueq; eosdem vrgendos, relictis vt aliis, eum solum accuratè cognoscant, familiariterq; adfectent. Hæc discendi ratio quid Iuuentuti prosit, dici haud posse,* autumat: *cùm ex contrario, si quotidiè ad alium* *In Orat. Monitrice. Addatur Richerius Obstetr. animor. 6. n. 4.*

ad alium delabantur, hæsitent perpetuò; & quid apprehendere tenereq́; debeant, ignorent. Rectiſſimè ſanè ſtudiis noſtris conſulemus, ſi Libros maxumè neceſſarios, eosque ex omni antiquitate ſelectiſſimos atq; vtiliſſimos, crebrò euoluamus & diligenter. Quod ipſum & Plinius ſuadet: *Multùm legenda eſſe, non multa.* Idemque extulit Quintilianus: *Optimis aſſueſcendum eſt; & multâ magis, quàm multorum lectione formanda mens, & ducendus eſt color.* Hoc idem Iuris non negligere Diſcipulus debet. Controuerſias is ex Fachineo cognoſcat; Actionum & Exceptionum ex Oldendorpio percipiat requiſita. Ex Ferrario Montano, vel Emerico Rosbachio, ſolemnia Iudiciorum; ex Rittershuſii partitionibus Feuda; hodiernum Imperii Statum ex Paurmeiſtero hauriet & Stephano: vſum referendi & de iure reſpondendi, Mynſingeri Conſilia dabunt. Cæteri ſi quos habet, non alio legendi ſunt fine; quàm eorum vt argumentum cognoſcat, idq́; occaſione ferente, quærendo ſine labore inuenire, ſuisq́; vſibus accommodare ſciat.

7. Epiſt. 9.

Inſt. orat. 10. cap. 1.

LXXX. Cùm autem Iuris noſtri ſcientia, adeò latè ſeſe extendat, vt limitibus carere; nullaq́; diſciplina, Memoriæ officium, magis quàm Legalis ſcientia deſiderare videatur: hincque iam olim, propter multiplicem, diuerſiſſimarumque rerum cognitionem, in Prouerbium quaſi abierit, *Memoria Iureconſultorum.* Indè ego ſemper, vnâ cum aliis, tum neceſſitate ſummâ, tum vtilitate longè maximâ cõpulſus; proprios, cùm mihi, tum aliis, pro cuiuſque Ingenii naturâ, captu & Methodo, *Locos* vt vocant *Communes*, atque ita quaſi Memoriam localem comparandam eſſe exiſtimaui. Vt ſub certis nimirum capitulis ſiue titulis, tanquàm ad ſuas deſtinatas ſedes, & domicilia propria, quæque apto, bonoque ordine referantur; vel vbi ea inuenire poſſimus, vno tantùm atque altero verbo conſignentur: ita vt per tempus, & ad vſum, facilè obuia, atque in promptu ſient. In cellis, horreis quoque & promocondo, non ad vnius diei ſolùm aut prandii vſum, verùm ad commoditatem multorum annorum, haud inconditè omninò recludimus Annonam, & eſculentorum omni genere caueas explemus. Non aliter Locus Communis, cella quædam & promuscondus eſt eorum, ad vtilitatem ſtudiorum noſtrorum ſummam, certo ordine quæ exſcribimus ac ponimus ſeorſim. Hanc itaque colligendi qui omittunt rationem, altoque, quod aiunt, ſupercilio deſpicere audent; in hoc certè, non abſimiles ſunt ignauo patrifamiliâs ignaroque,

Gribald. method. Stud. 1. c. 22. Richerius. c. 10. Obſtetr. animor. Tho. Sagittar. in diſputationib. Politicis ad fin. Bodin. c 3. meth. Keckerm. in Conſilio Logico. d. adorn. locis com. Lipſ. c. 12. Epiſt. Inſtit. Hier. VVolfius, in Epiſt. dedicat. Suida Latino præpoſita.

roque, qui, si forsan adueniant Hospites ex improuiso, nil in promptu habet quod apponat: sed vel vnâ cum illis esurire cogitur ipsemet; vel instar Cicadæ, suis à vicinis, cum ignominiâ etiam, & sudore maxumo petit. Ciceronem hîc audiamus, in Literariâ sanè Militiâ, experientissimum Imperatorem. *Neque enim*, inquit, *quoties verbum aliquod scribendum nobis, toties eius verbi literæ sunt cogitatione conquirendæ; nec quoties caussa dicenda est, toties ad eius caussæ seposita argumenta reuolui nos oportet: sed habere certos Locos; qui vt litteræ ad verbum scribendum; sic ad caussam explicandam, statim occurrant.*

Durum nimis est, cùm sitis fauces tenet, puteum fodere:
vt alicubi dicit Plautus. *Non aliorū Repertoriis fidendū esse*, admonet Gribaldus: *quæ parum quidem conferunt his, qui nullum laborem impenderunt. Id tantùm firmiter retinemus, quod nostro ingenio ac sudore parauimus. Hoc certo certius est, nullum à Legibus conditis, spectatæ scientiæ Virum, aut Magni nominis Doctorem, suo Indice, vel Repertorio caruisse.* Tanta est multitudo Scriptorum & Auctorum, tanta rerum in facultate nostrâ existit amplitudo, tanta quæstionum & ἀποφθεγμάτων varietas occurrit; tanta eorundem in decisione & explicatione discrepantia atque diuersitas obuia est vbiuis; vt Maris citiùs arenulas numerare, arborum folia recensere, ex Labyrintho sine Ariadnes filo euadere quis possit, quàm ista omnia Memoriâ tenere, prompteque eadem depromere & expeditè. Et hunc ergò vastissimum Oceanum rerum & opinionum, vt certis tamen quodammodò terminis includamus; certasq; in Parnassiacâ nostrâ nauigatione Helices ante oculos habeamus (materiarum illas nempè classes) opera quàm diligentissimè est danda. Labilis hominum Memoria est; vsque adeò, *vt omnia continere, Diuinitatis sit potiùs quàm Mortalitatis:* quæ verba sunt nostri Imperatoris. Adrianus vno tempore scribere, dictare, audire & cum amicis confabulare. Iul. Cæsar Epistolas tantarum rerum quaternas pariter librariis poterat dictitare. Quo eodem nomine pariliter Philippus Cominæus, & Antonius Perrenotus Cardinalis Granuellanus, ab Auberto Miræo commendantur. Origines nouum & vetus Testamentum memoriter nouit, septem Notarios, totidemque in scribendo puellas; præter alios iuuenes, omnes simul ex eius ore diuersa scribentes, incredibili agilitate legitur fatigasse. Ex solo Memoriæ suæ inexhausto Thesauro, Blasius Montlucius, iá senex, Commenta-

Const. d. confir. digest. §. 18.
Spartian.
Plin. 7. c. 26.
In Elog. Belgar.
VVolffius. i. memorabil. f. 41.
Montluc. i. d. Commentair. f. 2.

Variar. l. v. Camar. Ens. 2. conuial. apparat. f. 41.

mentaria sua depromsit. Et de quorundam Memoriâ admirabili, mira, & vix fide digna, Ant. Muretus multa narrat. At verò eiusmodi qui sient, paucissimi inueniuntur.

Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno:
—— Coruo quoq; rarior albo.

Mich. de Montagn. des Essais. c. 9. à & libr. 2. c. 17. f. 22. & 524.

Et quoque non rarò Iudicio imbecilliori, Memoria præstantior est copulata. Ergò quod hominis complecti Memoria nequit; fidelis Adnotatio conseruet, studiorumq; ne depereat labor, efficere procuret. Quippè multa legisse non prodest; si quicquid legimus præterfluat. Memoria Musarum mater, Thesaurus eadem est omniũ rerum: quæ nisi custos, lectis excogitatisque rebus adhibeatur; intelligitis omnia etsi adsint eximia, perire; vllum nec vestigium, nisi (forsan) habilitatem quandam, in animo relinquere nostro. Nemo vel Librorum multitudine, vel Lectionis varietate; sed iis tantùm, Memoriâ quæ complectitur, haberi potest doctus. Tantùm scimus, quantùm Memoriâ tenemus: omnia verò Memoriæ vt insigantur, fieri haud potest. Nec Memoriæ in tantùm est fidendum vnquàm; vt quæ legendo percipimus hodiè, ea post aliquot annos, non obliuionis incommodo obnoxia fore putemus. Curæ & animi perturbationes, mirificè cùm cerebrum exsiccent, & Memoriam proindè obliterant atque deteriorem reddunt: sunt Morbi siue interni siue externi, qui huic eidem torporem inducunt. Est Senectus, quæ suâ Naturâ sicca est, & ob id Memoriæ inimica: cùm interim à nobis maxumè requiratur, quæ integrâ didicimus ætate, vt tùm proferamus. Hâc itaque armaturâ, Senectutis contra infirmitatem, labentisque Memoriæ contra inconstantiam, nos muniamus. Haud omnibus horis, æquè nos prudentes sumus atque ingeniosi. Quocircà ex quotidianâ hominum quæ elicimus conuersatione; singula quæ nos memoratu nõ indigna videmus; propriâ quæ ipsi Meditatione inuenimus: omnia illa, hosce in Commentarios, tanquàm in centrum & domicilium quasi proprium inferri, haud inutile; imò per quàm vtilissimum esse, nemo non videt. vt quæ anxiam Memoriæ effungerint custodiam, mox Papyrus restituat; & charta portet; quo Memoriam non audemus onerare. Sic enim & *Plinius* (quod illius ex Sorore refert Nepos) *nihil legebat, nihil audiebat, quod notatu dignum esset, quod Calamo non exciperet:* hocque labore, varium illud & admirandum Historiæ Naturalis Opus, vllo fere fine labore cõcinnauit. Quid hoc de quo

tracta-

tractamus institutum, Mascardo, Menochio, Tiraquello, Schradero, & aliis profuerit; nemo qui in eorum versatur Scriptis, non intelligentiâ comprehendit.

LXXXI. Studiosum de materiis distribuendis, singularique Methodo in Locorum Communium concinnatione obseruandâ, longiùs deliberare nolim. Scio multos, de ordine & collocatione desperantes, horum Locorum necessariâ semper vtilitate caruisse. Varios & infinitos locos Mommerius non admittit. Plures non vult locos, quàm Tituli sint in Corpore Iuris. Præ omnibus, autem facillima, & omni superstitiosâ sollicitudine carens, series Alphabetica mihi probatur. Ac locos ipsos tam materiales & morales, quàm ad Iuris Regulas pertinentes, studiosè collegit Griballdus. Hos ipsa lectio quotidiana, aliis Rubricis seu Titulis, in dies reddet locupletiores. Quę verò ad propriam & peculiarem cuiusq; Legis spectant explanationem, marginato adscribes Libro In Auctorum perlustratione, à lectione ad scriptionem subindè auocari, moram & impedimentum maximum infert. Malum hoc, consilio prudenti tolles: Notas nempè Communium Locorum, in margine si adieceris, & singula deindè per otium, vel ipse vel Amanuensis operâ, ad assignatas retuleris Sedes. Nec porrò promiscuè omnia: præclara tantùm, vtilia & quæ non nimis familiaria nobis sint; nec ea veniunt notâda, quæ quotidiè occurrere possunt. Sanè si Tractatũ, singulari alicui materiæ dicatum perlustremus; si de Testamentis (verbi gratiâ) aliquem qui tractet legamus, nulla inibi de Vltimis Voluntatibus quæ habentur, operæ pretium est inseri Locis nostris: sat sit tunc consignâsse, hunc vel illum Auctorem, de Testamentis differere ex professo. Sin verò ibidem, ad Iurisdictionem & Imperium, sint obuia quæ pertinere videantur; ea sane ad Classem ordinariam sunt redigenda: vix enim qui de Iurisdictione hæsitat, in consilium vocabit Testamentarium tractatum. Nec etiam ventis tradendum est Mommerii Monitum: quo, cùm Lectionem ad Ius nostrum Ciuile adhibeas, haud inutiliter poteris vti. Quod est tale: *Leges, inquit ipsus, paulò accuratiùs euoluito, atq;, quod maximè ad illũ quem perlegeris Titulum pertinuerit, ad marginem collocato. Nimirùm, qualis sit actio, Ciuilis, an Prætoria. Quamdiu competat. Quibus competat. Num ad heredes transeat. Quid in actionem illam veniat. Bonæ fidei sit, an verò Iudicii stricti? Quando itaq; titulum quempiam perlegeris, & singula quæ illius tituli propria*

Epist. d. rat. discendi Iura.

I. d. rat. stud. c. 21.

Richer. Obstetr. Animor. c. 8. ad fin.

sunt adnotaueris; tum iterum eundem titulum perlege: cùm, vt Memoriam confirmes, tum etiam vt aliud agas, quod hîc perscribam. Librum ex papyro conficito, in quo omnes Pandectarum & Codicis titulos (si quando in Pandectis titulus ille non habeatur) ordine scribas. Si quando secundò (vt dixi) titulum aliquem perlegeris; non iam respicias, quid propriè ad eum Titulum pertineat. Verùm si quid à Iureconsultis obiter in iis titulis sit permissum, quod ad alium debeat referri. Quibus omnibus exempla Mommerius adiungit.

...prà dicta Epist. ...am Ant. Mat... ...aus Notu suis in ...st. præfixit.

LXXXII. Et hi tandem Loci, vtcunque instructissimi sint, non nisi qui in rebus sunt versati, prodesse queunt: vel vsu scilicet, quem adfert Ætas, vel auditione & cogitatione, quæ studio & diligentiâ præcurrit ætatem. Philippum hic audiamus Melanchthonem; ille de nostris hisce sic conqueritur: *Quidam putant*, inquit, *se Locos Communes tenere, cùm de variis rebus coaceruatas sententias habent, quas passim ex Poëtis & Oratoribus excerpserunt: & quia iudicant hanc coaceruationem insignium dictorum, perfectam esse doctrinam; nihil habent consilii in legendis Auctoribus; nisi vt inde tanquàm flores, dicta quædam decerpant. Interim nullam Artem perfectè discũt, nullum Scriptum totum intelligunt, nusquàm totum Orationis genus considerant.* Sed quo suo cum fructu? Id & hisce subiungit Philippus: *Hoc studium*, ait, *exiguam habet vtilitatem, & hoc nomine plurimùm nocet, quia in stultis persuasionem Doctrinæ parit; quâ nihil perniciosius existit.* Sed quî denique huic malo obuiam ire quimus? Et hoc quoque addit Philippus: *Sciendum est igitur, ita Locos Communes rectè cognosci, si Artes illæ in quibus versantur, perfectè cognitæ fuerint.*

...ib. 1. Rhetor. f. 71.

LXXXIII. Tertiò, Ius verbis ac sententiâ constat: hæc duo vbi discrepant, nõ illa sed hæc potissimùm Ius facere putatur. Nulla Lex Ratione caret: hæcque eadem postulat, vt cùm de vnâ re vel personâ dispositum aliquid inuenimus, ad consimiles id trahatur casus. Legi semper inest Ratio, tanquàm Anima; quæ ipsius Legis vel Canonis dominatur Verbis. Quippè *Ratio & Mens Legis, idem* sunt; vt rectè Bartolus dicit. Non Lex dicitur deficere; Legis vbi ratio adest. *Ibi quærere Legem, vbi habemus Rationem aut sensum, infirmitas est intellectus*; vt ait Baldus. Non sine scelere omittitur Ratio, cùm sit anima & medulla Legum; quæ Æquum & Bonum tuetur. Indeque is demum Leges scire putatur, non verba earum qui tenet; sed vim perceptam qui habet & potestatem:

Donell. 1. com. 13.

...l. 7. ff. d. bon. damn. ...l. 39. d. legib.

ad l. cum mulier. in pr. ff. sol. matr.

Muscul. d. Success. conuent. n. 241. f. 122.

Felix

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.

Iustitiæ idcircò Prolyta, rationem semper si fieri potest, indaget Legum. Nihil Ius Ciuile profitentibus, ad perfectam eruditionem consequendam, vtilius esse Gribaldus putat; quàm eorum quæ à Maioribus nostris simpliciter definita videntur, caussas rationesq; scrutari diligenter. Vnius Legis decisionem qui solùm intellexerit, non plures vnâ facti specie definire nouit: decidendi verò qui quoque collegerit Rationem; innumeros simul casus & infinita propè Indiuidua, eâdem ratione concludet. *Nec dubitandum erit* (quod enunciat alio loco Gribaldus) *eum quàm maximè in Legibus profecisse, qui ex earum mente, Regulas siue axiomata colligere didicerit.* Non quidem omnium, à Maioribus quæ tradita sunt, rationem reddi posse; respondit Iulianus. Non quòd quarundam, haud vlla prorsùs sit rationabilis caussa (omnis quippe Lex, consultum est Prudentum) sed quòd nos ea lateat haut rarenter: vt & sæpiùs in eas latebras Physici prorumpunt, vt dicant, hoc vel illud fieri, vi occultâ. In Iuris constituti haud inquiri oportet rationes: non quasi ad Legis percipiendam sententiam, prohibita sit inuestigatio rationis; sed ne quis animum inducat, non priùs parendum esse Legi, quàm rationem peruestigauerit eiusdem: ne Legem expressam, quamuis duram, negligere quis ausit; clarorum neu rigorem verborum, & vnam tantùm significationem habētium, spernere quisquàm præsumat. Cùm Iudicium Hominis sequentis suum sensum, suamque phantasiam, seu præsumptam æquitatem, fallat & fallatur. Et Iudex magnam iniuriam faciat Legi, qui Lege prudentior vult videri. Aliter qui Iuliani Responsum interpretantur, firmissimum id Ignorantiæ præsidium obtendunt. Silentiari & Dolores, non Legum certè sunt Doctores, qui de Iuris alicuius interrogati ratione, se recipiunt ad sententiam illam Iuliani; rationis vt perquirendæ incommodo se eximant atque necessitate. Si nullam Lex rationem habeat; hoc ipsum scire, omninò sufficiens esse videtur: & Rationis loco est, ita pro lubitu sanciuisse Legislatorem. Legitimam nempè, trientem potiùs, atque semissem aut quadrantem, vel quincuncem esse: septem magis quàm sex, aut octo in Testamento requiri testes, & similia; ex arbitrio magis, quàm Iudicio est constitutum. Et sanè hoc non ignorare, cùm in Iure interpretando, tùm in condendis maxumè Statutis, momenti haud exigui esse puto.

Gribald. 1. cap. 4.

c. 8. lib. 1. d. rat. stud.

l. 20. ff. de Legib.

l. 21. d. Legib. Donell. 1. com. 13. vbi Hillig. Lit. F. &c. Keckerm. disput. pract. 23. probl. 22.

c. 2. ext. d. sent. Excom. Damhuder. prax. crimin. c. 36. n. 7.

in dict. l. 20. d. LL.

LXXXIV. Rationem Legis qui perſpectam habet, is non ſolùm Legem ipſam probè percipiet: ſed & obſtantibus, facillimè contrapugnabit. Is ita ſe iuſtum æquumque in reſpondendo de Iure præſtabit; vt Naturâ magis quàm Diſciplinâ Conſultus videatur. Et hinc Iureconſulti, non Scientes, ſed Prudentes Iuris; non Scientia, ſed Prudentia, noſtra Legum peritia denominatur: ſcilicet quòd non in cognitione; ſed Actione, & Iuris ad res ſingulares conſiſtat applicatione. Non Opinione, verùm Naturâ Ius conſtitutum; Iuris initium à Naturâ ductum; Ius in Naturâ poſitum eſſe cenſetur. Præter Legem, Natura, Legiſque ratio quod perſuadet, Iuſtumq; Legale dirimit, Æquitatis nomine notamus. Benigniùs interpretandæ ſunt Leges, earum vt Voluntas conſeruetur. In rebus omnibus, præcipua Æquitatis potiùs, quàm ſtricti Iuris ratio eſt. Ius Strictum, ab Æquitate remota generant Verba, ſententiam cùm adſtringimus Verbis: cùm tamen hæc illi ſeruire deberent. Indeque eſt quòd Ius merum, ſubtile, ſummumque; ſumma dicitur Iniuria, Malitia ſumma, ſumma Crux.

id. Aruma. tr. d. fora. c. 2. n. 16. rc.

18. d. LL. l. 8. C. d. ıdic.

> Καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν. ὁ δ' ὁρῶν τὸς νόμους
> Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.
> *Leges perquàm egregia res ſunt; ſed is qui Legibus vtitur*
> *Nimiùm exactè, Sycophanta eſſe videtur.*

x Menandro Stoıus ſerm. 42.

Aucupia Verborum, litterarumque tendiculæ, in inuidiam vocantur: quia ex Æquo & Bono, non ex callido verſutoque Iure, negotia diiudicari oportet. Scriptum ſequi Calumniatoris eſt; Boni Iudicis, Voluntatem ſcriptoris, auctoritatemque defendere. Planè nil aliud eſt Ius noſtrum; quàm ars Æqui & Boni: quã hæc Æquitas in Artem redacta. Bonum & Æquum, eum definimus Virum, qui promptus eſt ad eligendum, qui ardens eſt in agendo quod æquum rectumque cenſetur: non reſtrictè ad Verborum præſcriptum, neque ſtrictè in deteriorem partem, Ius ſcriptum qui interpretatur; ſed qui de eo interdum remittit, etſi Legis auxilio niti poſſit. Et indè nimiùm ne Iuſti ſimus, Rex Sapiens monet. Nimia etenim Iuſtitia incurrit peccatum; temperata verò facit perfectos. Generatim Æquitatis ſunt effecta; Ius Scriptum mitiùs interpretari & benigniùs; eâque in explicatione ad Legiſlatorem, non ſcripturam; non ad orationem, ſed Mentem reſpicere ſancientis. & ſi quid in Lege ſcriptâ eſt omiſſum, ſupplere, & ſic corrigere ſeu emendare Ius ſcriptum. Ac proindè quatenùs cum Naturâ rectâq; ratione

ic. pro Cæcinna.

Ethic. Nicom.

cclesiaſt. 7. v. 17. bi Dn. D. Andr. ſiander. in not.

impler. 3. Eth. 10.

ratione conueniant Leges, est sciendum: vt nempè ab Æquitate, nullo tempore Iuris Ciuilis ratio separetur. Quo nomine à Cicerone, quàm celeberrimè Sulpitius commendatur. *Nam reliqua*, inquit, *Ser. Sulpitii Vita, multis erit, præclarisq; monumentis, ad omnem memoriam commendata. Semper illius grauitatem, constantiam, fidem, præstantiam, in Republicâ tuendâ curam, atq; prudentiam, omnium Mortalium fama celebrabit. Nec verò silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & penè Diuina eius in Legibus interpretandis, Æquitate explicandâ, scientia. Omnes ex omni ætate, qui hâc in Ciuitate intelligentiam Iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non sunt comparandi. Neq; enim ille magis Iuris Consultus, quam Iustitiæ fuit. Itaq; quæ proficiscebantur à Legibus, & Iure Ciuili, semper ad facilitatem, Æquitatemq; referebat: neq; constituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere.* Bartolus itidem, Philipp. 9.

—— Ille Iuris ingens
Lux, & commodus explicator ——

(quod de eo Baldus refert) semper opiniones quæ Laicis consentaneæ maxumè videbantur, est amplexus; quòd ad intellectum communem & æquitatem eas propiùs accedere iudicaret: & existimarit; in obscuris Iudicium potiùs rectæ Rationis, & æquitatis sequendum esse, quàm nimiæ subtilitati studendum aut inhærendum. *Forster. Hist. Iur. Ciuil. Rom. lib. 2. f. m. 652.*

LXXXV. Non potest ei valdè placere, cui

de meliore luto, finxit præcordia Titan,

quod Iohannes Mercerius infit. *Turpiùs fit Iureconsulto, sine Ratione, quàm sine Lege loqui. Æquitatis caussas à Naturâ petamus: & Ius hoc, quod tam latè patet, tamq; varium est, in angustum coërceamus Naturæ locum.* Ipsæ Iustinianeæ Leges, Politico Iudicio sunt diiudicandæ, & cognoscenda Principia, eaque prima, quibus subnixi Veteres Nomothetæ, de Iure responderunt. Et sic ex ipsissimis Politicæ & Iurisprudentiæ Principiis, Legum rationabile deducendum: hoc est, omnia ad actiuam Philosophiam, quam nostræ Disciplinæ fundamentum esse dixi, semper & vbique sunt referendæ. Hincque frequens est apud nostros Iureconsultos: *Ipsâ Naturâ manifestum est: Palàm est Naturali ratione: Naturalem habet intellectū: Natura docet:* & similia plura. *Naturâ æquum: Nihil tam conueniens Naturali æquitati: Contra Naturam est: Rerum Natura non recipit:* & alia sexcenta. Nota multa sunt Naturâ, quæ si probare tentes, ob- *1. Opin. 1. Ioh. Gerhardi, diss. Polit. dec. 1. th. 1. Alber. 1. d. Iur. Bell. li. 1. f. 14.*

tes, obscures: certè demonstres frustrà, nobis quæ recta Ratio monstrat. Ea si quis ita ex Legibus deducat, vt ad omne verbum, tot Legum & Auctoritatum conuehat plaustra: vel Lauream ex mustaceo quærit ridiculè; vel Numos multorum foliorum commaculatione, infami aucupio lucrari cupit. Proindè *miserrimi Ingenii eos esse* putabat Paulus de Castro; *qui non, nisi inuentâ Lege, aut decisione, propositas Quæstiones definire nossent*. Hic sanè perspicax ingenium, cupiens à tali se miseriâ liberare, omnia colligit, confert omnia, singula discutit, nihil non tentat, omnem denique lapidem mouet; Leges aliis casibus præscriptas, nouo Casui applicat; nunc per Locum ab absurdo, nunc ab idenditate rationis, nunc à cessante ratione, vel aliundè deducit Argumenta: non ignorans omnem vim Legum, in inductione & applicatione (En magnam & apparentem Dialecticæ vtilitatem) consistere; & quod liquidò constare non potest, Argumentis subtiliter indagãdum esse. Et hoc est quod melioris notæ Interpretibus communiter arrisit; Doctorem consultum non tenere allegare Iura: hocque ita frequentiùs obseruari, apud graues Aduocatos & Iurisperitos, à partibus nisi contrarium petatur, Hieronymus Cæuallos attestatur.

l. Cl. dius. circ. fin. d. acquir. red.

bin. com. cont. m. quæst. 287.

LXXXVI. Operæ pretium quoque iudicamus esse, prudentissimum audire Viuem. *Age verò qui Ius Ciuile profitentur, quid se & profiteri & præstare oportere arbitrantur? Vlpianus hanc professionem paucis est his verbis complexus; Ius est ars æqui & boni: boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, &c. At isti obliti se Iuris esse & Iustitiæ interpretes, atq; ideò Sacerdotes vocari Æqui & Boni; relictâ pulcherrimâ omnium professione, explicandæ Æquitatis, existimârunt se Sacerdotes esse Romani Iuris: & ex illâ Naturæ, omniũ gentium, temporumq; latitudine, in has se vnius Populi, & vnius temporis angustias compulerunt. &c:* Ac paulò pòst: *Nunc verò quid caussæ dicemus esse, quòd multi simul sunt imprudentissimi, & Iuris peritissimi: & quod mirère magis, stultissimi existimantur, etiam ab iis ipsis, à quibus & Iuris callentissimi. Videlicet facilè est homini quamlibet tardo, & ignaro rerum omnium, memoriter Leges illas complecti, & tanquàm Indicem, vbi quicquàm habeatur, ostendere. Nam ego hos homines, qui Leges alias super alias accumulant, nullâ additâ Ratione æquitatis, quæ ex ingenio, & multarum rerum experimentis ac scientiâ excuditur, non Iureconsultos soleo nuncupare, sed Elenchos aut Indices Legum.* Iuris peritorum etiam Errores, qui omnes hâc nostrâ, ni

d. corrupt. art.

fallor,

fallor, cautione euitari facilè possent; graphicè Cunradus Summēhart depingit, Professor quondam Theologiæ celebratissimus, in hâc ipsâ Academiâ nostrâ. *Vt quid enim etiam,* inquit, *apud Iurium Professores, tam atamq; inundans super vnâ re, etiam aliquando vulgatissimâ fit Iurium allegatio: quorum etiam pleraque, cùm à Casu ipso distantissima sint, eundem minimè attingunt, atq; adeò eum à longinquo respiciunt; vt plus vtilitatis de papyro atq; ingenio absumant, quàm vtilitatis ad eundem casum decidendum adferant. Vtiliùs quidem longè foret, quæ tam longinquum, & ferè inanem habent respectum, rescindere, & vnum vel duo solida atq; stringentia adducere Iura; & superfluis concordantiis omissis, diutiùs radici decisionis immorari.* Hæc, inquam, omnia, Censorio quæ Stylo pungunt multi, singula hæc, quæ improbant & vitant candidiores omnes; qui nempè Nigri nō sunt, quos vt caueamus non est necesse: Omne hoc malum, vniuersa Fundi nostri calamitas, ex eo maxumè suboriri videtur; Rationes quòd vel non intelligunt, vel haud debitè suspiciunt multi: & emendicatis ideo suffragiis (nudis nempè Interpretum Nominibus) non rationibus Legum, non ratione quâ pollent Naturâ, non Ratiocinationibus (ingeniosissimè quandoque ab Interpretibus adductis) sua adstruere Leguleii coguntur.

Tract. de Contra[ctibus]

His ferè gemina apud Mercerium. Opinion. c. 3. per tot. inuenies.

LXXXVII. Insuper, cùm duæ nunc sint Interpretum contrariæ Factiones: quorum vna Accursium pro Antesignano; altera Budæum, Alciatum, Duarenum, Donellū, Cuiacium, Corasium, Conanum, & si qui sunt eiusdem farinæ congeneres, in numeros alios refert. Non ego hîc vnquàm Solonis probauerim Legem; *Qui capite sanxit, si quis in seditione non partis fuisset alterutrius.* Magis sed Genio meo conuenit, Doctissimi Heigii canon: *Vt ne Vetera valdè fastidiamus, nec Noua nimiùm appetamus; sed prudēter quod in his optimum est, eligere tutissimum reputemus.* Meo sensu perfecta hîc mensura fiet; illorum si Acumen, horum limetur & temperetur Eruditione. Quod in omnibus disciplinis vsuuenire dolet Viui: hoc in Iurisprudentiâ declinare & detestari vel præcipuè nos decet. *Reuertuntur,* inquit, *tam longo postliminio, Græca & Latina Lingua, seu renascuntur veriùs. Et tanto ex bono, non exiguum cœpit malum artibus nasci, vnde tota erat speranda salus: Quòd homines vtriusq; Linguæ peritiâ & cognitione instructi, quùm ad legendos artium ac rerum Scriptores accedunt, & ex Linguæ imperitiâ lapsos nonnunquàm vident Interpretes, qui multùm in illis artibus operæ posuerunt;*

Cic. ad Attic. Ge[ll.] 1. cap. 12.

ad §. si eadem. In[st.] d. legatis.

Lib. 1. d. corr. ar[t.]

M *quoniam*

quoniam ipsi Peccatum deprehendunt Linguarum ope ac beneficio; illicò se peritiores esse in illis artibus opinantur, quàm illi ipsi fuerint, post tantam & tam diuturnam exercitationē. Ergò illos præ se contemnunt, & vix primis gustatis rudimentis, ad scribendum de illis artibus prouolant: rem se facturos rati vtiliorem, quàm illi Veteres artis Professores fecerint, si aliquot locis hallucinatos Interpretes indicârint. Damnantur eo nomine Accursiani, quòd persæpè ob bonarum Litterarum ignorationem, iis in rebus hæsitent, ac diutissimè persistant, quæ non modò sunt infructuosæ, sed planè pueriles atque irridendæ. Esto; sint hâc in re, vt verè sunt, reprehendēdi maxumè: at eruntné propterea omnia quæ ab ipsis traduntur cætera, reiicienda? aspernandæné erunt atque omittendæ Quæstiones omnes, copiosissimè ab his disputatæ, & quantùm in ipsis est, Foro, moribusque nostris accommodatæ? Ab hâc verò laude, longè abesse video, omnes ferè Interpretes, alterius (vt ita dixerim) Sectæ. Nam si vel politiùs, ac plerunque etiā multò solidiùs & eruditiùs Leges explanent; quippè qui in bonarum artium studiis versati magis, ad hanc Legum disciplinam solent accedere instructiores: tamen adeò id faciunt tenuiter atque ieiunè; vt qui omnes illorum omnium, ad certam aliquam Legem percurrerint meditationes; præter solum illius Legis sensum (eumque ad Romanorum Iudicia relatum) nihil aliud videantur assecuti. Taceo nunc farraginem emendationum atq; correctionum, quibus omnium propè Neotericorū (doctissimorum etiam cæteroquin virorum) scripta, ad nauseam vsq; scatent. Nil dicam de ausu sacrilego nonnullorum; qui non tantùm exscriptores, sed ipsos corrigunt Iuris conditores, nec Interpretes Iustiniani, sed censores agunt.

De Accurs. vid. Busium. 4. subtil. c. 11.

Fachin. 9. c. 103. & ibi allegatus Bolognet. Et adde omninò Ioh. Robert. 4. sentent. c. 17.

Forsterus Interpret. libr. 1. c. 2. n. 9.

vid. Hilliger. in præfat. Donell. enucl.

LXXXVIII. Omnium Seculorum memoriâ fuerunt, & etiam nunc sunt, qui vsu neglecto cognitionem præferāt; & qui vicissim cognitione postpositâ, sectentur vsum. Ex eoque procedit, vt illorum Iurisprudentia Theorica (cuius Studiosi Theorici dicuntur) horum Practica (ex quâ Practicorum & Pragmaticorum appellatio) fuerit denominata. Atque hæ duæ, Iurisprudentiam reuerâ nobis constituunt vnicam: hique demùm sunt, & dicuntur reuerâ Iureconsulti, quorum in vtraque illâ assiduum studium est; Theoricorum an Pragmaticorum qualitatem illis addas. Iudicium ad perpendiculum rectum est Arii Pineli; qui ait: *Ego post longam legendi professionem, postq; diligentissimam Foro nauatam operam, in eâ senten-*

ad l. 2. de resc. vendit. par. 2. c. 4. n. 2.

sententiâ sum; quòd Theoria sine Praxi, digestam solidamq; Iuris cognitionem præstare nequeat: Praxis absq; Theoriâ, maxumè periculosa & manca euadat. Ciuilis certè scientiæ finem, non in cognitione tantùm consistere, sed in actione potissimùm atque vsu, alicubi Aristoteles tradit. Nec perperàm scribit Marc. Antonius Natta: *Scire in nostrâ Scientiâ Iuris, non est propter scire tantùm, sed propter operari.* Is ideoque cui Iurisprudentia in studio est, præcepta licet suæ artis omnia teneat ad vnguem; vsum si artis ignoret, & Theoremata casibus applicare, factorumve species singulares, ad præcepta ni accommodare vniuersalia nôrit; perfectum habitum Iurisprudentiæ nunquàm consequetur. Et hinc Ars Iuris siue æqui, non tam Iuris scientię (quæ rerum vniuersalium, & in contemplatione posita est) quàm Iurisprudentiæ (quæ rerum singularium est, & in vsu agendoque consistit) sortitur nomen. Prorsùs verò extra viam sunt atque callem, & luculentum quod dicitur præferunt solœcismum, omissis qui Iurisprudentiæ, non tam Commentariis, sed & ipsis essentialibus præceptis; hoc est, ab omni Doctrinâ vacui, statim consectantur vsum. Quid quæso in pugnâ efficiet miles inermis? Quomodò vti queunt Instrumento, pro fine Iurisprudẽtiæ fabricato, penitùs eodem si destituantur? Quis vsus est rei, quâ caremus, quam cognitam non habemus.

cons. 1. tom. 1.

Vult. proleg. Iurisp. Rom. f. 13.

Volcm. Scribon. Introd. ad Iurisp. fol. 97.

LXXXIX. Quemadmodùm autem Corpora nostra, motu atque exercitatione recalescunt: ita consuetudo atque exercitium, & intelligendi prudentiam acuit, & agendi incitat celeritatem. Recteque Exercitatio; vel Theorica, vel Practica censetur: in vtroque etenim studio, perparùm fuerit momenti, si iuge exercitium subtraxeris; quotidianus si cesset vsus. Exercitatio nisi Naturæ & Doctrinæ accedat, nil solidæ hauries eruditionis. Cæca est sine Disciplinâ, Natura; nil potest sine Naturâ, Disciplina; sine Exercitio proficiet neutra. Ad Theoricas autem Exercitationes, tam familiares, quàm publicas refero collationes. Cùm sit vtilis ad instruendum lectio, & adhibitâ collatione, maiorem intelligentiam præbeat; meliùs est conferre quàm legere. Collatio docibilitatem facit: nam propositis interrogationibus, cunctarum rerum excluditur error, & sæpè obiectionibus, Veritas quæ latet aperitur. Humanus sensus, cùm alieno non sarcitur & restauratur inuento, citò attenuari de proprio potest. Prudenter filios suos Parladorius monet, cùm inquit; *Velim, vt quæ legeritis aut audieritis, cum sodalibus*

Isidor. 3. d. sum. bono.

Epist. ad filios.

pertractetis; & quæ dixeritis defendite: quæ verò ab iis dicentur, aut confirmate aut refellite. Ita enim non leue ad studium operæpretium feceritis; & planè tantùm momenti hâc in re positum reor, vt magnoperè conuenire putarem, si in vnoquoq; Contubernio, tanquàm instituto præscriberetur: vt profestis feriatisq; diebus, singuli sodales in vices, prælectionem (vel ex iis quæ à Præceptoribus, vel per se percepissent) in coronam facerent; proposito ad eam rē, quemcæteri impetāt Propugnatore. Futurus etiam Iureconsultus, in maxumâ cùm celebritate, & in mediâ Republicâ cùm ei sit viuendum; assuescat oportet à tenero, homines non reformidare, neque solitariâ illâ & vmbratili pallescere vitâ. Ac ideò properantibus ad scientiam Iuris Ciuilis, perfectæque eruditionis gradum quàm celerrimè adtingere cupientibus, vnum præ cæteris potissimè necessarium esse videtur; crebra frequensque, & quidem in consessu aliquàm multorum, vel Declamatio, vel Disputatio in contrarias partes. Declamatio nil aliud est, quàm oratio scholastica, ad similitudinem forensis orationis dicta. Temporibus nempè eis, quibus primùm res Atheniēsium, tum Populi deindè Romani, magnæ fuerunt & potentes; fuit & in Græciâ atque Romæ, Eloquentia in summo pretio ac veneratione. Itaque protinùs in Scholis, Pueri ad benè dicendum instituebantur; vt, cum adoleuissent, possent in Iudiciis & Consiliis publicis priuatisque suam facundiam proferre. Ad certa quædam Themata sese exercebant; scribendo in vtramque partem, quàm quisque poterat optimè, pro ingenii & eruditionis modo. Profectu qui processerant, & commodiùs iam scribere valebant, hi ea ipsa quæ scripserant ediscebant, & tum pronuntiabant. Summus qui profectus erat, statim proposita Themata sine scripturâ dicebat. Nos omnem exercitationem styli (qui solus optimus est dicē- Magister) sic negligimus omninò; vt vix longis interuallis, Epistolam aliquàm meditari sustineamus. Atque vtinam redeat aliquandò antiqua illa ratio discendi; vnâ literis literatisque pretium redire videretur.

[...]. *Agricola in pro[...] [...]g. Seneca.*

Mosellan. in pro[...] [...]ym. Aphthonii.

XC. Nec pauca etiam ex Disputationibus commoda progignuntur. Ingenii, Memoriæ, Linguæque promptitudo; audentia, fiducia; & quod omnium est præcipuum, Veritas, ab illâ tanquàm radice pullulant. Duas esse Eridas, hoc est, Contentiones,

Ausa est Agricolæ Musa docere senis.

Alteram hominibus noxiam, vtilem alteram. In priore contentione, is

ne, is qui victor est, discedit ex certamine peior; gloriosior in alterâ abit victor, victus verò melior. Illa pertinet ad Studiosorum rixas atque tumultus: hæc,

Ἀγαθὴ δ᾽ Ἔρις ἥδε βροτοῖσι,

ad literarias spectat contentiones, disputationesque. *Ferrum acuitur ferro, & homo exacuit faciem amici sui*; Mentis opumque potens Rex Salomon scribit. Hincque veterum omnium penè Ciuitatum Galliæ, in quibus Ius Ciuile docetur, consuetudinem esse; eamque Parisiensis Curiæ decretis sæpè confirmatam, Duarenus scribit: vt Iuris Doctores quotannis theses aliquas ex medio Iure depromptas, palàm propositas contra oppugnantes defendant. Quod & passim in Germaniâ frequentari, infinitas Thesiũ Iuridicarum, vbiuis prostantium, nos edocere potest. Nescio autem deplorandi an deridendi sint magis, ordine planè qui præpostero & inuerso, sufficienti posthabitâ præceptorum cognitione, Commentarios aggrediuntur statim; & Disputationibus (præcipua quæ Commẽtariorum pars habentur) nullo se Iudicio miserè inuoluunt, ab iisque studium Iuridicum exordiuntur. Quos, cùm aliud nihil in ore gerant quàm *Quæstiones, Quæstiones*; non immerentur Volcmarus Scribonius Quæstionarios indigitauit. Hos cùm nil nisi horridulas antinomias, aridasque obiectiones (*Obstant* quæ vulgò vocant) suspicere & adorare cernamus, haud perperàm nominare quimus Antinomos, Iustitiæque & æquitatis obstacula atque prępedimenta. Quemlibet in Actionibus & earum percipiendis requisitis, diù versatum esse mauelim; quàm in superstitiosâ conciliatione Legum contrariarum: Exceptionũ scire vsum, potiùs quàm textuum correctiones callere præstat. Ex magis arrident mihi concertationes, viuis & solidis rationibus vbi cernitur atque belligeratur; quemadmodùm in nostrorum Doctorum Consultationibus vsu venit. Neque forsan inutile profectioribus foret, positionum ac thesium quandoque loco, Decisiones sumere vel Consilia Auctoris ex melioribus cuiusdam, deiisque in Disputationibus priuatis instituere collationem; dubitandique ac decidendi, quas vocant, examinare ratiocinationes: nec semper in thesi tenuiter differere, ad modum Philosophorum. Commodùm mihi succurrit, quod Petronius scribit, & salsè ridet genus illud Furiarum, quo olim inquietati fuerunt Declamatores, qui clamabant: *Hæc vulnera pro Libertate publicâ excepi* (recta quippe Declamandi ratio, quæ plerisque

Prou. 27. v. 17.

Duaren. in Epist. præfix. lib. 1. Disp. anniuers.

Introd. ad Iurispr. f. 22. & 96.

v. Vigel. Præf. in Meth. Iur. ciu. & Iur. controu.

A princip. Satyrici.

Quint. 2. cap. 10. Suet. d. clar. Rhet.

risque ad formandam Eloquentiam, vel sola sufficere videbatur; tandem à Forensibus causis tractare diuersa, imò ad mera nugamenta deflecti cœpit) *Hunc oculum pro vobis impendi: date mihi duces qui me ducant ad liberos meos. Hæc ipsa*, inquit Arbiter, *tolerabilia essent, si ad Eloquentiam ituris viam facerent: nunc & rerum tumore, & sententiarum vanissimo strepitu, hoc tantùm proficiunt; vt cùm in Forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideò ego Adulescentulos existimo in Scholis stultissimos fieri; quia nihil ex iis quæ in vsu habemus, aut audiunt, aut vident. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm benè olere qui habitant in culinâ.* An non idem hodiè de nostris acutis dici possit Antinomistis? viderint ac iudicent alii: disceptando præsertim cùm decertant, vbi negatiua addi, vel demi debeat vocula; Tribonianus vbi ex suo sensu

vid. supr. num. 87. ad fin. Veteres laudet Iureconsultos; & si quæ his non absimilia vbiuis obuia occurrunt. Quibus sanè non aliud nunc atque olim cuidam (qui proposuerat ænigma, vehementer instanti vt solueret) Ari-

Lucian. in vita Demonact. stippus responderet: *An non horum alter Hircum mulgere videtur, alter supponere Cribrum?* Ego (quod Ingenium aiunt acui subtilitatibus eiusmodi minutis) mavelim Historicis ac Politicis dissertationibus acumen conciliari: & operam quæ superuacaneo illi studio confertur, his tribui; vtilibus magis, magisq; iucundis. Pudeat si qui ita se addixerint Literis, vt nil possint ex his, neque ad

Cic. pro Arch. communem Societatem, neque in Foro afferre vtilitatis.

Catull.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Eberh. à VVeihe, Orat. de Iure Pontif. 1.3.b. Solidæ potiùs in eo consistere putemus Iurisprudentiæ laudem; Quæ vsu approbantur, & quæ ad rem publicam priuatamque gubernandam necessaria existimantur. Cum nemine de minutiis, frigidisque subtilitatibus vnquàm est contendendum; de quibus inter se plerique mortalium acriter digladiari, & tanquàm penates, tanquàm forum, laresque sua defendere solent. Id namque publicè Ciuibus, Patriæ, posteritati, vel singulis fructuosum aut necessarium esse, quis affirmabit?

XCI. Porrò ergò, non inutiliter ad Forum etiam ducuntur Studiosi: vt quid rerum ibi geratur, aspectu percipiant; antequàm vel Reipublicæ gubernacula tractare, vel Forense pistrinum incipiant versare. Turpe etenim est & inconueniens, *Doctorem modo à Scribis debere discere*, quod alicubi Freigius dicit. Hîc, si alibi vn-

quàm,

quàm, verissimum est Senecæ illud: *Breue iter per Exempla, longum per Præcepta.* Vt proindè *rectè exempla Legibus conuenientia, in disciplinam Iuris producantur*; Petro Heigio dicente. Aureum est consilium Ant. Massæ* ICti Romani: is suadet, *Vt Studiosus Iuris, quò ad eius fieri possit, occasionem quærat, quò ex Clari alicuius Viri consuetudine, discat vniuersalia Iuris præcepta, ad particulares negotiorum species deducere; quem quasi spectator caussarum accedat.* Vera Legum Canonumque enucleatrix & intellectrix, Practica existit; scientia illa est, vt loquitur Baldus, digestiua. Leges siquidem deglutiuntur in Scholâ, in Palatio demùm concoquuntur, & in succum ac sanguinem conuertuntur. Attestatur amicus meus Adamus Kellerus: *Qui ad forum citò se parant Germanicum; suos filios, postquàm Institutiones absoluerunt, Cancellariis destinare; vt quotidiana negotia experiantur, Reipublicæ administrationem, ac mores insuper, Stylum & consuetudines obseruent. Quidam eos ad Imperialem Cameram mittere, Aduocatorum, Procuratorumve fidei concredentes; vt processum Iuris, atq; alia ad praxin Iuridicam necessaria imbibant: eosdem verò postmodùm rursùs ad studia ablegare; vt quæ deinceps ex Pandectis, Codice, & aliis Iuridici Corporis libris sint audituri, meliùs intelligant.* Quamuis autem, non consultum esse videatur Iuris Studioso, ab initio statim cum Theoriâ & Legum acroasi, sedulò & ex animo vel interponere vel coniungere Praxin ipsam: quamobrem & IC. Vlpianus dixit; *Solere sine infamiâ, Studiosis Iuris interdici, ne se negotiis Fori accommodent.* Inter Theoriam & Praxin, coniugium quasi & indiuidua quędam coniunctio exsistit: si modò coniugium illud sit maturum; si non simul in Scholis, nondùm positis fundamentis & generalibus præceptis, quæ ad Forum adferenda, coniunctio hæc de præsenti instituatur. Attamen in eo haud vlla dubitatio esse potest, Theorica quin præcepta exactiùs discantur; eorum quasi per transennam si videamus vsum. Dari potest opera Praxi, etiam sine vulnere Theoriæ: vmbratili quodam studio, Forensibus controuersiis accommodato. Atque hic est Studii Practici cum Theorico coniungendi fructus apprimè magnus; vt neque minutias omnes Theoricas (sæpè numero sub manibus præ nimiâ subtilitate euanescentes) nimis admiremur, iisque immoremur.

ad §. pen. in fin. Inst. d. adopt.

** lib. d. exercit. Iurisperit.*

Marant. part. 4. dist. 1. n. 74.

Lib. 1. de Offic. Iuridicopol. cap. 27.

l. 9. §. 4. ff. d. pœn.

Muscul. de vnion. prol. n. 163. ad fin. f. 71.

VVesemb. Epist. d. init. stud. Iur. & orat. de stud. Iur. rectè instit.

Treutl. Disp. 1. th. 8. lit. C. vol. 1.

XCII. Sed iam de προθύμασι; sacrificialibusque præparationibus satis superque. Iuris modò Candidato Sacerdotium ipsum

ipsum demus mandemusque, ad aram Iustitiæ ducamus eundem; faxo

Adstet conspicuus Tyrrhenâ in veste Sacerdos.

Et ne irreuerenter atque imparatè, rem talem tantamque adgrediatur; paucis, quomodo Diuæ nostræ Sacris præesse possit, paucis inquam, præmonstrare lubet. Verùm enimuerò, certi quidam sunt in hoc loco gradus Officiorum; & triste mihi ac detestabile videtur esse Omen, locatum mox aliquem conspici procul ab imo.

7. d. Rep. Sapienter Plato: *Qui in studiis Literarum & Philosophiæ probè versatus, nullum rerum humanarum vsum habet; non priùs ad Respublicas gerendas admitti debet, quàm priuatis leuioribusq; tractandis sese assuefecerit.* Imbecilla ætas, rerumque ignara humanarum, malarum etsi insolens artium; fieri tamen haud potest, quò minùs aliquandò corrumpatur: prouida si non illam ab Ambitionis clauo, longiùs remouerit Themis. Honores Virum ostendunt: non soliti in fraudem impellunt. Eorum contra inanitatem, non arte & vsu qui est vallatus, aliter fieri nequit, ad horas quin deterior euadat. Dignitatis honorumque vanitatem haud licet contueri; claritatem splendoremque ipsorum, simul vno si obtutu intueâris. Vt ex obscuro carcere in Solem procedens, cæcutit: ita qui ex scholæ vmbrâ, non per gradus effertur; sed statim inter Summos se videt. Ac ideò semper à leuioribus auspicandum est; ne vel Ambitioni, vel oneri succumbamus.

XCIII. Et verò Iustitiæ Sacerdotes, in differentiâ multiplici existunt. Clientibus quidam; alii Dicasteriis; Consiliis alii Reipublicæ adsunt; Iura alii docent. Philosophari decere Iureconsultum, hoc nostrum antequàm incipiat studium; Philosophari debere eundem, ei cùm operam nauat, iam modò probauimus supra: neque aliud, veram nisi exercere conuenit Philosophiam, in vsu ac fine. Consiliarii nempè Iudicisq; Cynosura est,

Iustitia inuiolata malis, placidissima Virgo.

Non aliò respicere debet Aduocatus. Omnibus his, Iustitiæ & Publicæ salutis honesta ratio cordi esse: singuli horum, non Præceptores modò, doctores, interpretes, non Antecessores saltem (quasi functionis caussâ Principem in publico antecedentes) Morum

Borcholt ad proœm. Inst. §. quorum. n. 8. sed existere Anticensores; vicem nimirùm subire Censorum, & Morum habere coërcitionem, aliisque præclaro prælucere debent Exemplo. In liberâ quicquid geritur Republicâ seu Ciuitate, Consilii

filii quicquid atque deliberationis, à Legislatore suscipitur vel Iureconsulto; omne id existimandum est Iustitiæ gratiâ fieri: ad quam vsus rerum aliarum, commoditatesque & opportunitates, per se ac primò diriguntur. Natura, finem suum vbi est assecuta, perfecta esse dicitur; ita Iurisprudentia tum demùm absoluta fuerit in eo, si quæ in illius sunt posita cognitione, ad communem Reipublicæ vtilitatem; siue publicè id fiat, siue priuatim, referantur. Iurisprudentiæ etenim meta est Æquitas, Iustitiæque conseruatio in communi vitæ societate. Ad Æs, aliumve finem quatenus exit scientia Iuris, vix eam inter Disciplinas censeri debere liberales, haud perperàm faciunt qui contendunt. *Vultei. proleg. d. stud. Iur. fol. 11.*

XCIV. Ipsa Populi publica Salus, supremam quam perhibēt esse Legem, Iustitiæ perpolienda est limâ; ad Iustitiæ Pietatisque normam redigi debet. Vt vmbra corpus; sic Æquitatem & Iustitiam, Salus Hominum, Reique publicæ tranquillitas subsequi cōsueuit. illa si absint, non hæc durabunt: non fructum, licet videantur florere, portabunt. Sui quæ naturâ honesta, aut publicè salutaria sunt, ea recta censentur & iusta. Quibus contraria (turpia nimirùm) si iubeantur, si vtilitatis cuiusdam intuitu permittantur; nō Iustus hoc approbabit Aristides: vtile cui visum fuit aliquandò Themistoclis consilium, sed non honestum, & ideoque spernendum. *Cic. 3. offic.* Ac indè est, vt quos Vlpianus Sacerdotes, eosdem Imperator Iustinianus, optimos Reipublicæ Ministros, & maximos Iustitiæ Satellites appellet. *Const. 2.* Vt ergò Sacerdotes Deo Optimo Maximo, ad Sacra facienda sunt dicati: haud aliter Iureconsulti, illi omniū virtutum Principi ac Reginæ mancipati; ipsam quæ supremi Numinis æquitas est, colunt quasi Divam, & in Iure velut in eiusdem quasi quodam Sacrario religiosè versantur. ipsorumque oculis & animo obuersatur indesinenter vigilans Iustitiæ ocellus sempiternus, inconniuens Iustitiæ oculus; arbiter & vindex perpetuus rerum: aliquotiens serus; sed scrupulosus Quæsior rectè vel secius gestorum.

Est Dea quæpiam Adrastæa, videtq́; ista.
Est vehemens Dea, lædere hanc caueto. *De Nemesi v. Ammian. Marcell. l. 14. ad fin.*

XCV. Vt apud Græcos infimi homines, mercedulâ adducti, in Iudiciis Oratoribus se prębuêre ministros; ii qui apud illos πραγματικοὶ vocabantur. Sic Romæ contrà Amplissimus quisque, & Clarissimus Vir, ac omnes qui cùm ingenio sibi auctore dignita- *Cic. 1. d. orat. & dixi etiam supr. num. 69.*

 tem

tem reperiſſent, perfecerunt; vt in reſpondendo Iure, auctoritate plùs etiam, quàm ipſo ingenio valerent. Senectuti celebrandæ & ornandæ, non honeſtiùs aliud perfugium eſſe cenſuerunt, quàm Iuris interpretationem: hâc, cùm vires deficere cepiſſent, iſtâ ab ſolitudine domum ſuam vindicârunt. Iuriſconſulti domus, totius erat Oraculum Ciuitatis: vbi omnes Ciues conſilium expetebant, ſuarum rerum incerti.

oratius,

Romæ dulce diù fuit, & ſollemne, recluſâ
Manè domo vigilare, Clienti promere Iura.

Rutilij, & Galbæ, & Scauri, vitâ, moribus, frugalitateque ſpectati; & poſteà per varias æui ſequentis ætates, Cenſorii & Conſulares multi & Triumphales, poſt Exercitus proſperrimè ductos, poſt Victorias & Tropæa, Ciuilibus ſtipendiorum officiis floruerunt: laureaſque Fori ſpecioſis certaminibus occupantes, ſummis gloriæ honoribus fruebantur. Virentem Aduocatis hederam ſuſpenderunt, Leo & Anthemius Imperatores; in hęc cùm verba reſcribunt: *Aduocati qui dirimunt ambigua fata cauſſarum, ſuæq; defenſionis viribus, in rebus ſæpè publicis ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reparant; non minùs prouident humano generi, quàm ſi prælis atq; vulneribus Patriam, Parenteſq; ſaluarent.* Moleſtias Iudiciales, liteſque lite ſemper implicatas, ætatis exactæ ſacculoſas, atque controuerſias inſtrumentoſas,

mmian. Marcel. b.30.

14. C. de aduoc. uerſ. Iudicior. ide Adr. Puluæi rat. de Aduocar. priuileg. Fori.

Ἐις ὄρ(ο)ς, ἢ ἐς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
In montes, tumidaſq; frementis in Æquoris vndas

relegandas cenſent multi: hoc primo ſtatim aſpectu, haud àliter ac Fidei ſignum, omnium ſuffragiis approbatur; in horum ego ſententiam, manibus pedibuſque ac toto corpore diſcedo. *Mihi planè placet* cum Petronio; *emere, quamuis noſtrum ſit quod agnoſcimus, & paruo ære recuperare potiùs Theſaurum, quàm in ambiguam deſcendere litem.* Intereà tamen, non pro cæci habendum eſt præcepto, quod alicubi Bodinus ſcribit: *Qui Lites quibus Gallia mirificè delectatur, à ſtirpe ſe conuellere poſſe putant; næ ipſi noſtræ Ciuitatis moliuntur euerſionem. Neceſſe eſt enim aut vi, aut ratione controuerſias dirimere.*

.d. Reſp. c.1. f.510. & f.512.

Plutarch. Themiſt. Amian. lib.30.

XCVI. Qui ab actionibus olim, ad dicendum Sapientiæ ſtudium traducebant, Sophiſtæ fuerunt denominati: hi, vt quondam exiſtimationis in diſcrimen, priſcam illam Sapientiam deuocabant; veræ ità nunc Iuriſprudentiæ propudia, Rabulæ ſunt. Nunc enim

enim videre est violenta & rapacissima hominum genera, per Fora omnia volitantium, & subsidentium diuites domos; vt Spartanos canes aut Cretas, vestigia sagaciùs colligendo, ad ipsa cubilia peruenire caussarum. In his primus est cœtus eorum, qui seminando diuersa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum postes & orborum limina deterentes; & auidi inter discordantes amicos, aut propinquos vel adfines, simultatum, ob leuia scrinii receptacula, odia struentes infesta. Secundus eorum est ordo; qui vt in professione turbulentâ clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes, vilesque latratus, quò velint aditus sibi patefaciunt crebros: qui inter sollicitudines Iudicum per multa distentas, inresolubili nexu negotia vincientes, laborant vt omnis quies Litibus implicetur; & nodosis Quæstionibus de industriâ Iudicia circumscribunt. Tertium atque postremum est genus impudens, peruicax, & indoctum; eorum qui cùm immaturè à Literariis eruperint Ludis, per angulos Ciuitatum discurrunt, mimijambos non causarum remediis congrua commentantes: qui cùm semel vmbraticis lucris & inhiandæ vndique pecuniæ se dederint, ad litigandum frustrà quoslibet innocentes hortantur. Quumque ad inopiam muniendarum venerint Allegationum, ad effrenatam conuitiandi lubidinem deflectunt.

Huic vni solent Studio se dedere & arti,
Verba dare vt cautè possint, pugnare dolosè;
Blanditiâ certare, bonos simulare viros se,
Insidias facere: vt si hostes sint omnibus omnes.

Lucil. apud Lactant. 5.

Hocce enim genus hominum, mercedulâ adductum, ministrum se Falsitatis, & Iniustitiæ præbet, simulque Linguam & Animum contra Iustitiam instructum armatumque gerit: difficile autem est, Iustitiæ eum & veritatis amantem esse, qui quæstui prostituit Linguam.

Contra Aduocat plura scribit Cotra. 1. d. Iure Mili c. 9. Schönborner. polit. c. 41.

Cur lucrum, Forum, & elocutionem,
Vni Mercurio tamen sacrârunt?
Prisci scilicet hoc modo indicârunt;
Futurum, vt rabiosa quisquis arma
Tractaret Fori, haberet ille curam
Lucri non minùs ac locutionis.

Beza.

Nempè si non Iustitiam, sed caussæ victoriam, & Clientis sui be-

neuolentiam ſibi pro fine proponat Aduocatus; Rabula, foriq́ue tintinnabulum eſt: veris cum Iureconſultis præter nomen & externam ſpeciem, nil commune quicquàm habet. Leguleius eſt cautus, acutus, actionum præco, formularum cantor, ſyllabarum auceps. Imò, *nihil illorum actu, ſimilius eſſe actibus Diabolorũ*; Diuus Auguſtinus ait. Perindè ergò vt Equus generoſus, alto ſupercilio deſpicit latratus canum; pariter ita Aduocati probi, vaniloquis vulgi Iudiciis non commouentur. Inſigne mœſtis præſidium qui ſunt Reis, In conſilio qui ſunt cauti, fideles in patrocinio, in iudicio iuſti: ſcientes, ex Speculatoris monito, de talento ſibi concredito, rationem ſe reddere teneri: veriſſimumq́; eſſe illud Zaſii; *in Malâ cauſsâ felix patrocinium nullum.* In auribus quorum reſonat Procuratoris cuiuſdam, in agone mortis ſæpiùs iterata querela: *ô Iuramentum Calumniæ!* qui

b. 3. Confeſſ. c. 3.

t. Frider. Mind. præfat.

Nunc captus Rhadamantis ad Tribunal,
Conducit miſer antè quæ locabat.

Aduocatorum Militia (in quâ commodiſſimè rudimenta ponere poteſt Iureconſultus; quam glorioſam Palæſtram in Galliâ Magnus exercuit quoq; Thuanus) ſua etiam Arma habet; quæ membra militis eſſe cenſentur. Demoſthenes percontati cuidam, quid eſſet in Eloquentiâ præcipuũ; Reſpondit *Actio*: Roganti quid proximũ; *Actio*, reſpondit: interroganti quid tertiũ; *nil aliud*, inquit, *quàm Actio.* Idem hoc meritò dixerim de virtute & integritate. Nullum eſt tam neceſſarium Aduocato telum; quàm tenere ſemper Candorem, non commaculare vnquàm Probitatem: vt quo vel tectus ipſe poſſit eſſe, vel improbos prouocare, vel vlciſci laceſſitus. Boni Aduocati officium eſt, non confirmare ſolùm quæ dicit; ſed & perſuadere, ad credendumq́ue ducere Iudicem: hoc faciliùs, & magis expeditè quis faciet, quàm Vir Bonus? Quemadmodùm hoc ſolùm lucratur Mendax, vt cùm vera dixerit, fides ei non habeatur: ſic non aperta ingenia, non ſimplicia, ſed aſtuta & ad decipiendum frequentiùs parata; etiam dolos nectere, captionibusq́; irretire, candidè cùm agere volunt, reputantur.

…oterius lib. 9. f. …45.

…raſm. apophth.

XCVII. Iureconſultis porrò, Magiſtratus præ aliis mandantur rectè: nec imperiti debent eſſe Iuris, Iudicum qui munere funguntur. Magiſtratus etenim, Lex cenſetur eſſe loquens; Lex verò, Magiſtratus eſt mutus: neque Legum executio committenda vnquàm erit Legum haud benè gnaro. Ius certum eſt, & æquabili

fronte

fronte respicit omnes. Itaque ex eo potiùs, quàm ex Arbitriis humanis; quæ permoueri gratiâ, frangi potentiâ, prece, pretioue corrumpi, odio, spe, aut metu concuti possunt, Iustitiam administrabit Iudex. *Is ergò* (quod Plato monet) *operam dare debet, vt Legum constitutiones ante omnia discat, & mente firmiter teneat: ad normam vt respiciens Legum, de singulis iudicet, adhibitâ semper propriâ virtute.* Non ex vsu fore, noster existimat Imperator; Iudicum vt aliqui gestent nomen, qui & Legum maxumè sunt imperiti, nec vllum in rebus gerendis obtinent vsum. Quippè quòd vnusquisq; ea rectè iudicat, eorumque bonus Iudex est, quæ cognoscit; & vnamquamq; rem benè iudicat, qui in eâ est eruditus. Si Iudex is est, qui Ius dicit; quo pacto id facere potest, qui Ius ignorat:

L. 2. ff. de iur. & fact. ign. l. rem non nouam. C. d. Iudic. Nou. 8. vlt. d. legib. & in polit.

Nou. 81.

1. Eth. 3.

> *Quid cum illis agas, qui neq; Ius, neq; Bonum atque Æquum sciunt?*
> *Melius, peius, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod lubet.*

Terent. Heaut.

Quod se effecturum, immanissimus Tyrannus C. Caligula, sæpè iactauit de Iureconsultis; quasi scientiæ eorum omnem abolitirus vsum: hoc etiamnum Declamatores aliquos habet, quibus id maxumè arridet. Quorum in Iureconsultos eadem sunt, quæ Libitinariorum in Medicos vota. Sublato etenim Iure scripto; aliud, quæso, quid supererit, quàm vt omnes pro Stultitiæ suæ iudicent captu, & in cuiusque vel gratiam vel odium sententiam ferant? Ac simul absurda res est, datis ac pedaneis saltem Iudicibus, litterarum peritiam imperare; nec in Magistratibus seu ordinariis Iudicibus, vel præcipuè requirere eandem. Aureum est quod sæpe dixit Alexander Imp. *Eos esse promouendos, qui per se Rempublicam gerere possent, non per Assessores; addens, militares habere suas administrationes, habere litteratos: & ideo vnumquemq; hoc agere debere, quod nosset.* Ficulneum est Genuensium statutum; quo is qui Doctoratus dignitate cohonestatus est, Præturæ præfici prohibetur. Meritoq; non explosa modò, sed & absurda est visa omnibus in locis, Reformatio Friderici III. Imperatoris; quæ Doctores Iuriumque peritos à Iudiciis & Collegiis arcet.

Sueton.

Bröchorst. 1. Ἐναντ. assert. 64.

Lamprid.

Forster. in histor. iur. ciu. Rom. libr. 3. f. 621.

Post Goldastum, VVehnerus ad Reformat. Rotvvil. part. 1. t. 1. f. 5. &c.

XCVIII. Eâdem autem ratione omninò, de Iureconsulti & Legislatoris, ac Magistratus seu Iudicis fine scopoq; statuendum esse, iam denuò repetere placet. Scopus his omnibus vnus idemq; propositus est; Iustitia nempe politica & Ciuilis. Hanc eandem, Legum vtilium latione adipiscitur Legumlator: quam ex rectâ legiti-

Vid. supr. n. 93. ad ad fin.

gitimaque earum Interpretatione assequitur Iureconsultus; & earundem æqualibi ac iustâ executione, nanciscitur Iudex vel Magistratus. Præclarè rescribunt Diocletianus & Maximianus Impp. *Votum gerentibus nobis, aliud nihil in Iudiciis, quàm Iustitia locum habere debet.* Est enim Magistratus proprium munus; intelligere se gerere gersonam Ciuitatis, debereque eius sustinere decus & dignitatem; seruare Leges, Iura describere, ea fidei suæ commissa meminisse. Et hoc est, quod dicit Iehoua summus: *Non personam suscipite in Iudicio: æquè paruum atq; magnum auditote; ne metuitote à quoquam. Nam Iudicium ipsum Dei est. Non Iudicetis cum acceptione vultus, sed Iudicium iustum iudicate.* Vt & Iehoschaphat Rex Iudææ, in Regno suo Ecclesiasticum atque Politicum ordinem recognoscens, Imperii edixit Iure: *Videte quid sitis facturi; non enim pro homine iudicaturi estis, sed pro Iehouâ: qui vobiscum futurus est in rebus Iudiciariis. Quare nunc insit pauor Iehouæ vobis; obseruate & facite: non enim est apud Iehouam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio Personarum, aut sumptio muneris.* Equidem cùm potentia Dei Iustitia sit. Ergò in Magnatum gratiam qui præuaricatur, potentiores illos facit quàm Deum: hocque recidit in contumeliā Dei; quasi is infirmior sit habendus, quàm illi, quorum Potentiæ metu præter fas calculus fertur. Vt concupiscentia Eunuchi de vitiandâ puellâ; ita est quisquis vi Iudicia exercet, ait Siracides. Non ab Hominibus est Iustitia, qui possunt circumueniri; sed à Deo: cuius in Iure dicendo integritas, non magis ab homine potest constuprari, quàm ab Eunucho impotentissimo, Virgo. Quod enim differtur; non sanè ipsius ineluctabili Iudicio auffertur. Quod meminisse debent ii, quorum

—— Iudicium nil est, nisi publica merces.
Quid faciant Leges, vbi sola Pecunia regnat:
Aut vbi paupertas, vincere nulla potest?

Ipsa illa Iustitia, plùs apud Iudices semper valere debet, quàm iussio Principis etiam in terris summi. Ita enim olim Anastasius Imperator; *Omnes cuiusq; maioris vel minoris administrationis vniuersæ suæ Reipublicæ, monet; vt nullum Rescriptum, nullam pragmaticam Sanctionem, nullam sacram Adnotationem, quæ generali Iuri vel vtilitati publicæ aduersa esse videatur, in disceptationem cuiuslibet litigii proferri patiantur: sed generales sacras Constitutiones, modis omnibus non dubitent obseruandas.* Quod idem adhuc ampliùs, in Nouissimis

[Margin notes:] L.6.C.d.appellat. — Deut.1.v.17. — Ioh.7.v.24. — 2.Paralip.19. v.6. — Ioseph.4.antiquit. vlt. adde August. 6.Confess.c.10. — Cap.20.v.20. — L.6.C.si cont. Ius vel vtil.publ.

mis suis Constitutionibus roborauit Iustinianus. Vbi ait: *Si dum caussa dicitur, Pragmatica nostra forma, aut dispositio spectabilium nostrorum referendariorum, aut alterius cuiuslibet, aut aliquid aliud horum quæ dicta sunt omnium, Iudicantibus insinuetur; ordinans in his examinationem aut sententiam: Iubemus Iudicem quidem omninò non respicere; sed his vacantibus, & nullam penitùs habentibus virtutem, secundum generales nostras Leges, caussam examinare, & legitimo fini contradere. Sin autem hoc non custodierit Iudex, decem librarum auri eum subiacere pœnæ.* Nou 82. c. 13. Nou. 113.

XCIX. Et insuper administris Iureconsultis, eorumque adhibito consilio, haud perperàm administratur Politia. Quæ etenim Iurisperiti est finis, iusta in rebus omnib⁹ obseruatio Æqualitatis: nil ea nisi optima Reipublicæ gubernatio esse videtur. Et quis etiam prudentiùs caussas atque controuersias decidet? quis Ciuium meliùs componet seditiones? Leges Reipublicæ, Populi consuetudinem, libertatem, mores, sapientiùs quis defendet, quàm Iuris Legumque peritus? Et indè si operam suam Iureconsultus locare Principi, Reipublicæ si is à Consiliis Politicis esse velit; non eius inanis Labor; non ipsius deliberationes fructu salubri carebunt, nunquàm his nō aderit benedictio Diuina: si priùs & ante omnia cogitet, Præsidia humana lubrica semper & fallacia esse, multoq; planè infirmiora, quàm vt Politias vel Respublicas custodire possint. *Sapientes Consiliarii,* inquit Propheta, *insipiens consilium dederunt, deceperunt Ægyptum, angulum Populorum eius: & Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & fecerunt Ægyptum in omni opere suo errare; sicut errat ebrius & vomens.* Ideoque in solo Deo spem omnem reponendam, primò persuadeat: ac porrò ita semper omniq; in loco consulat; auxilium ne Diuinum (impium scilicet aliquod dum medium proponit) spernere, vel vltrò repellere videatur. Grimal. l. d. Senatore. f. 94. Esai. c. 19.

C. Porrò autem, Consiliis prouidere non difficultatem habet, vbi quid Rectum sit appareat; quid verò expediat, in opinione dubiâ est constitutum. Iustitiam namque si habeat, omnia tenet; nec re vllâ Respublica carere videtur. Acu rem Consiliarius tangit, Iustitiam si assequitur: eam is nanciscitur, qui bonus. ὀυδεὶς κακὸς εἰσεται τ8το. *Quantum Bonum sit*, ait alicubi Plato, *quod nunc præcipitur omnibus Rebuspublicis (si modò paruerint) ordinem & apparatum adducens, nullus vnquam iners & malus cognoscet; quemadmodū* 5. de Legib.

veteri

veteri prouerbio dicitur: verum & peritus & moribus æquis præditus. Hocque est quod Cicero dicit: *Virtus, probitas, integritas, in Candidato; non linguæ volubilitas, non ars, non scientia requiri solet.* Enimuerò Cautelis qui ingeniosis, qui Simulationibus ac Dissimulationibus, candore & pietate carentibus, augere studet Rem vel publicam vel priuatam; Atheos is & Idololatra est: magis quia suæ confidit scientiæ prophanæ, quàm Diuinæ benignitati; mediis legitimis quæ dat incrementum: quia non in Iustitiâ & Virtutum complemento; sed in Bonis externis Felicitatem consistere putat. Ast sunt nihilominùs, commodo qui Principum, potestati qui Magnatum consulere; nec Iustitiæ Sacerdotes, non Satellites Æquitatis, haud qui Veronenses, sed Placentini magè vt fient studere satagunt. Est genus hominum, quod sic ad voluntatem Regum ac Magnatum Iustitiam inflectit; vti Cocus ad delicatorum gulam & palatum edulia parare solet. Sunt qui vtilitati Principum, non Iustitiæ se deuotos, Iuramentique Religione deuinctos esse iactitare, glorioseq; prædicare non verētur. Verumenimuerò, Consiliarii vtilitatis solummodò rationem habentes, non publicam honestatem & Iustitiam respicientes; haud ii opes nouas, antè partis sed diuitiis, Maledictionem accumulant Diuinam. Verissimum est Hispani cuiusdam, politici Sapientissimi, Oraculum. *Is, inquit: qui ab officii sui ratione, & prætensione vtilitatis Principis, patrociniū Iniustitiæ quærit; hunc tu Consiliarium non inde magis fidelem Principi; sed eum priuatæ cuidam intentioni colorem obducere, præsagire potes. Quia commodum alterius, nemo præponit Conscientiæ suæ, nisi insimul priuatum indè ipsemet speret emolumentum.* Sed & audiamus insignem quendam Politicum Germanum: *Sic vult Dominus, sic iubet. Nescis quòd iuràris commodum prouehere? Tales apud multos Dominos multùm valent, nec indè paucillum commodi sentiunt. At verò detestandi sunt vt hirudines Populi, vastatores, lupi rapaces, homicidæ pauperum, Dæmonum instrumenta, Dei flagella pessima, mancipia auaritiæ. Quin potiùs suaderent, vt euitarentur superuacanei sumptus, & in Aulico ministerio non alerentur plures, quàm necessitas expostularet.* Tales ideòque Consiliarios pius Princeps, Mammonis omnes qui sunt Sacerdotes, mox à se reiiciat atq; spernat. Haud vnquàm Diuinæ qui Iustitiæ, qui Deo sunt infideles, alicui Principi fideles fore, firmiter sibi habeat persuasum.

Pro Plancio. f.634.

Anton. Perez. in Aphorism.

Adam. Keller. 2. d. offic. Iuridico polit. c. 8. f. 328.

CI. Non prudens Princeps Anaxarchum Abderitem (Sophistam

ſtam illum veriùs dixerim quàm Philoſophum) audiat: quem & noſter quoque Plutarchus reprehendit; quòd Magnum Alexandrum Macedonem, illum Mundi totius tremorem, mœſtum ac lugentem, ob Clyti, à ſe per calorem iracundiæ interfecti, obitum, ſolaturus: ita dolorem ac tædium (quod ex pœnitentiâ perpetrati facinoris, quâ ducebatur, Princeps contraxerat) leuare Philoſophus ac minuere tentauit. Et ingreſſus, ita exclamauit: *Hicné eſt Alexander, in quem nunc totus terrarum reſpicit orbis: is verò proſtratus iacet, tanquàm vile mancipium, timens Legem & vituperia hominum; quibus ipſe debet eſſe Lex, & terminus iuſti. Victorias obtinuiſti, vt imperes & domineris; non vt ſeruias mancipatus inani opinioni. An ignoras,* inquiebat Anaxarchus, *Iouem habere ſibi aſſidentem Iuſtitiam & Fas; vt quicquid fuerit factum ab eo qui ſummum rerum obtinet, id ſit Fas ac Iuſtum.* Quibus ſermonibus, Regis dolorem minuit quidem Anaxarchus; ſed eius Mores, reddidit arrogantiâ inflatos, & minus Legibus obtemperantes: ſeipſum autem ad Regis beneuolentiam mirificè inſinuauit. Sunt ſanè Principes, ægrè qui ferunt, publicis ſi Iudicibus rem committi roget oppreſſus. Expertus hoc eſt Platina hiſtoricus: ad quem toruis oculis adſpiciens Paulus II. Pontif. Maximus. *Ita nos,* inquit, *ad Iudices reuocas, ac ſi neſcires omnia Iura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe? ſic ſtat ſententia; loco cedãt omnes, eant quò velint, nihil eos moror. Pontifex ſum, mihiq; licet pro arbitrio animi, aliorum acta & reſcindere & approbare.* Haud vnquàm caruit Mundus Principibus huius naturæ ac morum. Non vllo defuerunt ſeculo miniſtri Magnatum, tales qui fouerent opiniones. Quod ad Achabum dixit Izebela, cùm indignabandus eſſet, poſſeſſionem Maiorum ſuorum quia tradere ei recuſabat Nabothus: *Tuné nunc exerces Regnum ſuper Iiſraëlem?* Hoc eodem, furorem inconditum ad effectum criminis Iulia roborauit, cùm Antonino priuigno reſpondit: *Si libet, licet. An neſcis, te Imperatorem eſſe; & dare, non accipere Leges?* Verùmenimuerò, operibus & effectis Iuſtitiæ, nil conuenientiùs Regi, nihilque magis vtile eidem reperiri, nunquàm non ſuadeat Conſiliarius noſter. Semper is cum Homero conſeat; Reges gubernare & ſeruare, non Machinis bellicis, aut nauibus ære compactis: ſed Iure ac Legibus à Deo acceptis. Et hinc idem Homerus, non Iouem nominat Deorum Bellicoſiſſimum, nec violentiſſimum, nec qui ſtrages multas ediderit; ſed Iuſtiſſimum conſultorem, & Iuſtitiæ alumnũ.

In vita Pauli II.

1. Reg. 21.

Spartian. in Caracalla.

Non aliâ ratione, licentia præ cæteris maior Principi est concessa; quàm ad Iustitiæ promotionē. Et id est, quod dicitur: *Principes tantùm facere posse, quod secundū Sacras & Diuinas Regulas est permissū.* Grauissimè Iustitiæ Martyr Papinianus: *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt; nec credendum est nos facere posse.* Pariæ sunt impossibile & turpe; in nostrâ potestate non esse, & esse iniustum. Ipsamque decet Maiestatem eas seruare Leges, quibus esse videtur exsoluta.

.82. ad fin.
.d. cond. instit.
.d. legat. 3.

Vbi non est pudor,
Nec cura Iuris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile Regnum est.

Et Principum æquè ac priuatorum, si mala sit vita, non potest esse Mors tranquilla. Hincque Fridericus III. Imperator; *Iis Principibus, qui immites & crudeles erga suos fuissent, mortem nimis extimescendam esse dicebat. Nam quales se dum vixerunt aliis præstitêre, tales cùm moriuntur in se Iudices inuenturos esse.* Et ergò ad summam, in hæc, quæ dixi omnia recidere videmus: primùm & luculenter vt sciamus; Prudentiam Ciuilem ac Iuris artem, si Iustitiæ non semper intueatur scopum, nunquàm non aberrare; Iustitiam præ oculis si habeat, Spiritus Sancti omnipotēti auxilio iuuari, gubernariq; semper, & nullius difficilem esse dubii decisionem.

n Sylu. lib. 2. al. Alphons.

CII. Denique, cùm sit Sapiens quidam velut humani generis Pædagogus; hi qui Rempublicam non quidem administrant, sed ad hominum qui vtilitatem, prudentiam suam, intelligentiamque potissimùm conferre student; multos erudiendo nimirùm, quò meliores vtilioresque in Rebus suis publicis Ciues sint: ii in priuato, publicum vt qui maxumè negotium agunt; & *Professores*, hoc est, Publici Doctores indigitantur. Quo munere, Tacito teste, minimè destruitur, sed dignitas omnis augetur. Hi namq; non Reipublicæ vnius, sed totius generis humani curam gerunt. *Nec* etenim *is solus* (vt Sapientissimi Senecæ verbis vtar) *Reipublicæ prodest, qui Candidatos extrahit, & tuetur reos, & de Pace Belloq; censet; sed qui Iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum Præceptorum inopiâ, animos instruit Virtute.* Ac horum ideò ea sit cura prima, nihil vt dicant faciantvè, malum in Auditorem vnde transferri possit Exemplum. Neque probatis tantùm Moribus erunt; verùm & prudentes quoque. Tum Ingenium habeant accommodatum, ei quàm

aes d. trad. dipl. Marcell. Lyrma, Oratione d. gn. Professor. Inpr. Matth. Stefani c. 3. de Academ.
acit. 13. Annal.

quam profiteri cupiunt Arti; eique quos in disciplinam receperunt cohorti Auditorum. Quid discipulorum ingenio conueniat, haud sint ignari, quantumque ferre valeat quisque? Rescissis ergò illis Commentariorum Quæstionibus prælongis, ea in medium tantùm afferre debent, Discipulorũ quæ ingenium illustrare magis, quàm obruere valent; verùm à falso, vtile ab inutili secernentes: paucis ipsi exponant, quæ interim multo tempore & labore decerpere insudârunt. Itaque sicut Agricola ex paleis grana, Faberque Aurarius, ex aurifodinarum fece purum expurgat aurum: non secùs prudentes illi Magistri, vtilia ab inutilibus; à superuacaneis optima seponant, quæ luculenter suis posteà discipulus dictent. Nec (quod Bartolus fecit, cùm Legem *ætate. ff. de minor.* interpretaretur) integrum quinquennium absumant in Legis explicatione vnius. Sed hîc illud obmittere nõ possum, quod in quâdam ad Georgium Sabinum Epistolâ, memorat Viglius Zuichemus. Cùm ait: *Quantùm quidem ego intelligo, quicunque Iura cum auditorum vtilitate docere voluerit, eaque siuè ad priuatas Clientulorum caussas defendendas, siue publicas arduasque res administrandas prudenter accommodare, alios docere velit: ei non satis erit quemlibet magnum in Scholis fecisse Iuridicæ scientiæ profectum. Verùm inprimis necessarium erit, vt Iuris scientiam in Foro, Iudiciis, Consiliis exercuerit, &c.* Id quod hodiè cùm negligatur; Scholas & ipsum Iuridicum Studium euertere, & in nescio quam Andabatarum similem pugnam, commutare videtur. Tribus porrò Professores eluceant luminibus dicendi; dicant nempè dilucidè, probabiliter dicant, dicantque breuiter: hôc memorem, isto credulum, illo facturi intelligentem. *Id agere debet*, quod ait Diuus Augustinus, *Doctor & Ductor: vt non solùm intelligenter, verùm & libenter & obedienter audiatur.* Humani misereantur generis, cæci ac inter tot discrimina constituti. Dominum ac Magistrum nostrum ad ipsos quoque clamare putent: *Vos estis sal terræ: Vos estis Lux Mundi. Quòd si obscuretur Lumen, quis contuebitur? Si sal infatuetur, quid salietur?* Haud quæri debent Litteræ velut instrumentum, otiosus quo victus paretur: indignum est id præmium tam præstanti labori. Hanc sententiam ipsi Magistri, re ac vitâ si expresserint; facilè credent Alii eam esse veram. Altâ semper stet nobis mente repôstum, quod prudentissimus monet Politicorum: *Auctores Studiosis esse debemus, vt cum nostrâ Arte hauriant puram*

Parlador. ad fin. rer. quotid. in Epist. ad filios.

Richard. in eius vita.

Sabin. in Epist. f. m. 445.

Mercer. 1. opin. 3.

d. doctr. Christian.

Eberh. à VVeihe, ad fin. Orat. d. Iure Canon.

Religionem, pietatem, candorem, integritatem, fortitudinem; & si non armis, voce sint parati ad propugnandas Politias: nullis cedant terroribus, nullis molestiis, nullis difficultatibus. Impauidum & infractum in sententiâ verâ defendendâ gerant animum; abiectum, Papinianum nostrum secuti, relinquant. Experimur quidem, & nobis gratulamur, prouentum doctissimorum hominum ingentem; vt satis sit in Germaniâ doctrinæ, sat eruditionis, sat eloquentiæ; at Virtutum, probitatis, innocentiæ, &, vt vno verbo dicam, Conscientiæ parum. Optimis selectissimisque Viris, artium & disciplinarum magisteria committi debere, rectè voluit Plato: ideò, quòd præstantium in Republicâ gerendâ hominum, tanquàm seminarium hoc sit; in quo plantæ stirpesque, tantò nobiliores essent futuræ, quantò sapientiores & maioribus præditi donis, itemque honoratiores earum culturæ præficerentur. Ipsum hoc profitendi munus, si non simulatè, sed ex fide sustineatur; nemo id certè tanquàm minùs nobile fastidiendum esse censebit: Leges nî ipsas vituperare & contemnere audeat, temeritate furiosâ. De Doctis & Doctoribus, eloquia quod pronunciant Diuina: *Qui ad Iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi Stellæ in perpetuas æternitates.* Hoc quis vnquàm polliceri ausit iis; solâ qui Nobilitate, suâ qui Familiâ, maiorum qui Statuis, fumosisque ceris, in terrestri hâc miseriarum valle, præ aliis splendescunt.

CIII. De Professorum autem officio, non est quòd pluribus nunc dicam; operam sed magè sedulam dabo, ipse vt re ipsâ, boni Professoris exprimam partes: illudque obseruem Diui Bernhardi; *Non est gratum Spiritui Sancto quicquid feceris, neglecto eo ad quod vocaris.* Et quidem cras, horâ, huic meæ Lectioni destinatâ; *de Iurisdictione* (quod caput in toto Iure, vt difficillimum, ita vtilissimum esse censetur, & summè iucundum) sic iubente Amplissimo venerandoque Iustitiæ nostræ Sacrario; Methodicum incipiam tractatum, viriumque mearum periculum * faciam. Sine Dei autem Sapientissimi auxilio, functionem quia hanc grauissimam, benè feliciterque non obire me posse, perspectum habeo planissimè: quia cùm vires meas metior, cùm tento lacertos; huic me oneri prorsùs imparem agnosco. Sed ardēti quia Precationi, auxilium Dei propè semper adest, *Deusq́, inuocatus, res penitùs desperatas donat*, quod noster nos docet Imperator: Salomonis ideoque exemplo, ad supplices confugio Preces; Deumque beni-

** Quod factum 14. August. 1610. h. 4. post merid.*

Const. d. concept. ff. §. 2. ad fin.

benignum, omnis Boni largitorem, vnicè obsecro, oro: Animam vt mihi det intelligentem ad docendum, ad discernendum inter Bonum & Malum. Beatus vt prædicari possim, *Iustitiam quòd enarrem Auri audienti.* Et vos quoque omnes, Auditores, Lectoresque simul omnes, idem vt mecum oretis, precor, obtestorque. *Ecclesiast. 25.*

DIXI.

Synesius, Dione.

Ἠγώνισαί γε πρὸς τοὺς ἀμούσους ὑπὲρ μουσῶν, οἳ καὶ κακοήθως ἀποδιδράσκουσι τὸν ἔλεγχον τῆς ἀμαθίας, ᾧ καταφεύγειν ἐπὶ τὴν λοιδορίαν ὧν ἠγνοήκασιν.

Depugnatum est pro Musis, aduersus ineruditos, qui malignè declinant crimen ruditatis & imperitiæ, dum confugiunt ad vituperia illorum quæ ignorant.



D. Auguſtin. lib. 10. Confeſſ. cap. vlt.

ECce Domine, iacto in te curam meam, vt viuam: & conſiderabo mirabilia de Lege tuâ. Tu ſcis imperitiam meam, & infirmitatem meam: doce me, & ſana me!

*

Aeternam propter vitam & Cœleſtia Regna,
Et labor & curæ, tibi ſint ſuprema voluptas.

*

Si homines docuit Patriæ poſtponere vitam
Vana ſuperſtitio; quantò nos iuſtiùs omnes,
Vere DEVS, Tibi nos & noſtra ſacrabimus vni.

Papinia-

Papinianea Securis:

TUBINGÆ,

IN ACTU DOctorali ſollemni,

ANNO M.DC.XII.

Die 10. Nouemb.

JURISPRUDENTIÆ CUIdam Candidato intimè commendata;

à

Chriſtophoro Beſoldo,
IC. & p.t. Decano.



Prouerb. 10. v. 7.

Memoria Iuſti cum Laudibus, & nomen Impiorum putreſcet.

neuolentiam ſibi pro fine proponat Aduocatus; Rabula, foriq́ue tintinnabulum eſt: veris cum Iureconſultis præter nomen & externam ſpeciem, nil commune quicquàm habet. Leguleius eſt cautus, acutus, actionum præco, formularum cantor, ſyllabarum auceps. Imò, *nihil illorum actu, ſimilius eſſe actibus Diabolorũ*; Diuus Auguſtinus ait. Perindè ergò vt Equus generoſus, alto ſupercilio deſpicit latratus canum; pariter ita Aduocati probi, vaniloquis vulgi Iudiciis non commouentur. Inſigne mœſtis præſidium qui ſunt Reis. In conſilio qui ſunt cauti, fideles in patrocinio, in iudicio iuſti: ſcientes, ex Speculatoris monito, de talento ſibi concredito, rationem ſe reddere teneri: veriſſimumq; eſſe illud Zaſii; *in Malâ cauſsâ felix patrocinium nullum.* In auribus quorum reſonat Procuratoris cuiuſdam, in agone mortis ſæpiùs iterata querela: *ô Iuramentum Calumniæ!* qui

Nunc captus Rhadamantis ad Tribunal,
Conducit miſer antè quæ locabat.

Aduocatorum Militia (in quâ commodiſſimè rudimenta ponere poteſt Iureconſultus; quam glorioſam Palæſtram in Galliâ Magnus exercuit quoq; Thuanus) ſua etiam Arma habet; quæ membra militis eſſe cenſentur. Demoſthenes percontati cuidam, quid eſſet in Eloquentiâ præcipuũ; Reſpondit *Actio:* Roganti quid proximũ; *Actio,* reſpondit: interroganti quid tertiũ; *nil aliud,* inquit, *quàm Actio.* Idem hoc meritò dixerim de virtute & integritate. Nullum eſt tam neceſſarium Aduocato telum; quàm tenere ſemper Candorem, non commaculare vnquàm Probitatem: vt quo vel tectus ipſe poſſit eſſe, vel improbos prouocare, vel vlciſci laceſſitus. Boni Aduocati officium eſt, non confirmare ſolùm quæ dicit; ſed & perſuadere, ad credendumq́ue ducere Iudicem: hoc faciliùs, & magis expeditè quis faciet, quàm Vir Bonus? Quemadmodùm hoc ſolùm lucratur Mendax, vt cùm vera dixerit, fides ei non habeatur: ſic non aperta ingenia, non ſimplicia, ſed aſtuta & ad decipiendum frequentiùs parata; etiam dolos nectere, captionibusq́; irretire, candidè cùm agere volunt, reputantur.

XCVII. Iureconſultis porrò, Magiſtratus præ aliis mandantur rectè: nec imperiti debent eſſe Iuris, Iudicum qui munere funguntur. Magiſtratus etenim, Lex cenſetur eſſe loquens; Lex verò, Magiſtratus eſt mutus: neque Legum executio committenda vnquàm erit Legum haud benè gnaro. Ius certum eſt, & æquabili fronte

[li]b. 3. Confeſſ. c. 3.

[...]t. Frider. Mind. [...]præfat.

[...]tereius lib. 9. f. [...]45.

[...]raſm. apophth.

fronte respicit omnes. Itaque ex eo potiùs, quàm ex Arbitriis humanis; quæ permoueri gratiâ, frangi potentiâ, prece, pretiove corrumpi, odio, spe, aut metu concuti possunt, Iustitiam administrabit Iudex. *Is ergò* (quod Plato monet) *operam dare debet, vt Legum constitutiones ante omnia discat, & mente firmiter teneat: ad normam vt respiciens Legum, de singulis iudicet, adhibitâ semper propriâ virtute.* Non ex vsu fore, noster existimat Imperator; Iudicum vt aliqui gestent nomen, qui & Legum maxumè sunt imperiti, nec vllum in rebus gerendis obtinent vsum. Quippè quòd vnusquisq; ea rectè iudicat, eorumque bonus Iudex est, quæ cognoscit; & vnamquamq; rem benè iudicat, qui in eâ est eruditus. Si Iudex is est, qui Ius dicit; quo pacto id facere potest, qui Ius ignorat:

L. 2. ff. de iur. & fact. ign. l. rem non nouam. C. d. Iudic. Nou. 8.

vlt. d. legib. & in polit.

Nou. 81.

1. Eth. 3.

Quid cum illis agas, qui neq; Ius, neq; Bonum atque Æquum sciunt?
Melius, peius, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod lubet.

Terent. Heaut.

Quod se effecturum, immanissimus Tyrannus C. Caligula, sæpè iactauit de Iureconsultis; quasi scientiæ eorum omnem abolitúrus vsum: hoc etiamnum Declamatores aliquos habet, quibus id maxumè arridet. Quorum in Iureconsultos eadem sunt, quæ Libitinariorum in Medicos vota. Sublato etenim Iure scripto; aliud, quæso, quid superêrit, quàm vt omnes pro Stultitiæ suæ iudicent captu, & in cuiusque vel gratiam vel odium sententiam ferant? Ac simul absurda res est, datis ac pedaneis saltem Iudicibus, litterarum peritiam imperare; nec in Magistratibus seu ordinariis Iudicibus, vel præcipuè requirere eandem. Aureum est quod sæpe dixit Alexander Imp. *Eos esse promouendos, qui per se Rempublicam gerere possent, non per Assessores; addens, militares habere suas administrationes, habere litteratos: & ideo vnumquemq; hoc agere debere, quod nosset.* Ficulneum est Genuensium statutum; quo is qui Doctoratus dignitate cohonestatus est, Præturæ præfici prohibetur. Meritoq; non explosa modò, sed & absurda est visa omnibus in locis, Reformatio Friderici III. Imperatoris; quæ Doctores Iuriumque peritos à Iudiciis & Collegiis arcet.

Sueton.

Bröchorst. 1. 'Εναντ. assert. 64.

Lamprid.

Forster. in histor. iur. ciu. Rom. libr. 3. f. 621.

Post Goldastum, VVehnerus ad Reformat. Rotvvil. part. 1. t. 1. f. 5. &c.

XCVIII. Eâdem autem ratione omninò, de Iureconsulti & Legislatoris, ac Magistratus seu Iudicis fine scopoq; statuendum esse, iam denuò repetere placet. Scopus his omnibus vnus idemq; propositus est; Iustitia nempe politica & Ciuilis. Hanc eandem, Legum vtilium latione adipiscitur Legumlator: quam ex rectâ legiti-

Vid. supr. n. 93. ad ad fin.

 giti-

gitimaque earum Interpretatione assequitur Iureconsultus; & earundem æqualibi ac iustâ executione, nanciscitur Iudex vel Magistratus. Præclarè rescribunt Diocletianus & Maximianus Impp. *Votum gerentibus nobis, aliud nihil in Iudiciis, quàm Iustitia locum habere debet.* Est enim Magistratus proprium munus; intelligere se gerere personam Ciuitatis, debereque eius sustinere decus & dignitatem; seruare Leges, Iura describere, ea fidei suæ commissa meminisse. Et hoc est, quod dicit Iehoua summus: *Non personam suscipite in Iudicio: æquè paruum atq; magnum auditote; ne metuitote à quoquam. Nam Iudicium ipsum Dei est. Non Iudicetis cum acceptione vultus, sed Iudicium iustum iudicate.* Vt & Iehoschaphat Rex Iudææ, in Regno suo Ecclesiasticum atque Politicum ordinem recognoscens, Imperii edixit Iure: *Videte quid sitis facturi; non enim pro homine iudicaturi estis, sed pro Iehouâ: qui vobiscum futurus est in rebus Iudiciariis. Quare nunc insit pauor Iehouæ vobis; obseruate & facite: non enim est apud Iehouam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio Personarum, aut sumptio muneris.* Equidem cùm potentia Dei Iustitia sit. Ergò in Magnatum gratiam qui præuaricatur, potentiores illos facit quàm Deum: hocque recidit in contumeliã Dei; quasi is infirmior sit habendus, quàm illi, quorum Potentiæ metu præter fas calculus fertur. Vt concupiscentia Eunuchi de vitiandâ puellâ; ita est quisquis vi Iudicia exercet, ait Siracides. Non ab Hominibus est Iustitia, qui possunt circumueniri; sed à Deo: cuius in Iure dicendo integritas, non magis ab homine potest constuprari, quàm ab Eunucho impotentissimo, Virgo. Quod enim differtur; non sanè ipsius ineluctabili Iudicio auffertur. Quod meminisse debent ii, quorum

——Iudicium nil est, nisi publica merces.
Quid faciant Leges, vbi sola Pecunia regnat:
Aut vbi paupertas, vincere nulla potest?

Ipsa illa Iustitia, plùs apud Iudices semper valere debet, quàm iussio Principis etiam in terris summi. Ita enim olim Anastasius Imperator; *Omnes cuiusq; maioris vel minoris administrationis vniuersæ suæ Reipublicæ, monet; vt nullum Rescriptum, nullam pragmaticam Sanctionem, nullam sacram Adnotationem, quæ generali Iuri vel vtilitati publicæ aduersa esse videatur, in disceptationem cuiuslibet litigii proferri patiantur: sed generales sacras Constitutiones, modis omnibus non dubitent obseruandas.* Quod idem adhuc ampliùs, in Nouissimis

[Margin notes:] ...6.C. d. appellat. — ...eut. 1. v. 17. — ...ob. 7. v. 24. — ...Paralip. 19. v. 6. — ...oseph. 4. antiquit. ...lt. adde August. ...Confess. c. 10. — ...Cap. 20. v. 20. — ...L. 6. C. si cont. Ius vel vtil. publ.

mis suis Constitutionibus roborauit Iustinianus. Vbi ait: *Si dum caussa dicitur, Pragmatica nostra forma, aut dispositio spectabilium nostrorum referendariorum, aut alterius cuiuslibet, aut aliquid aliud horum quæ dicta sunt omnium, Iudicantibus insinuetur; ordinans in his examinationem aut sententiam: Iubemus Iudicem quidem omninò non respicere; sed his vacantibus, & nullam penitùs habentibus virtutem, secundum generales nostras Leges, caussam examinare, & legitimo fini contradere. Sin autem hoc non custodierit Iudex, decem librarum auri eum subiacere pœnæ.* Non 82. c.13. Nou.113.

XCIX. Et insuper administris Iureconsultis, eorumque adhibito consilio, haud perperàm administratur Politia. Quæ etenim Iurisperiti est finis, iusta in rebus omnib⁹ obseruatio Æqualitatis: nil ea nisi optima Reipublicæ gubernatio esse videtur. Et quis etiam prudentiùs caussas atque controuersias decidet? quis Ciuium meliùs componet seditiones? Leges Reipublicæ, Populi consuetudinem, libertatem, mores, sapientiùs quis defendet, quàm Iuris Legumque peritus? Et indè si operam suam Iureconsultus locare Principi, Reipublicæ si is à Consiliis Politicis esse velit; non eius inanis Labor; non ipsius deliberationes fructu salubri carebunt, nunquàm his nō aderit benedictio Diuina: si priùs & ante omnia cogitet, Præsidia humana lubrica semper & fallacia esse, multoq; planè infirmiora, quàm vt Politias vel Respublicas custodire possint. *Sapientes Consiliarii,* inquit Propheta, *insipiens consilium dederunt, deceperunt Ægyptum, angulum Populorum eius: & Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & fecerunt Ægyptum in omni opere suo errare; sicut errat ebrius & vomens.* Ideoque in solo Deo spem omnem reponendam, primò persuadeat: ac porrò ita semper omniq; in loco consulat; auxilium ne Diuinum (impium scilicet aliquod dum medium proponit) spernere, vel vltrò repellere videatur. Grimal.1.d. Senatore.f.94. Esai.c.19.

C. Porrò autem, Consiliis prouidere non difficultatem habet, vbi quid Rectum sit appareat; quid verò expediat, in opinione dubiâ est constitutum. Iustitiam namque si habeat, omnia tenet; nec re vllâ Respublica carere videtur. Acu rem Consiliarius tangit, Iustitiam si assequitur: eam is nanciscitur, qui bonus. οὐδεὶς κακὸς ἐστὶν τοῦτο. *Quantum Bonum sit,* ait alicubi Plato, *quod nunc præcipitur omnibus Rebuspublicis (si modò paruerint) ordinem & apparatum adducens, nullus vnquam iners & malus cognoscet; quemadmodū* 5.de Legib.

veteri

veteri prouerbio dicitur: verùm & peritus & moribus æquis præditus. Hocque eſt quod Cicero dicit: *Virtus, probitas, integritas, in Candidato; non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet.* Enimuerò Cautelis qui ingenioſis, qui Simulationibus ac Diſſimulationibus, candore & pietate carentibus, augere ſtudet Rem vel publicam vel priuatam; Atheos is & Idololatra eſt: magis quia ſuæ confidit ſcientiæ prophanæ, quàm Diuinæ benignitati; mediis legitimis quæ dat incrementum: quia non in Iuſtitiâ & Virtutum complemento; ſed in Bonis externis Felicitatem conſiſtere putat. Aſt ſunt nihilominùs, commodo qui Principum, poteſtati qui Magnatum conſulere; nec Iuſtitiæ Sacerdotes, non Satellites Æquitatis, haud qui Veronenſes, ſed Placentini magè vt fient ſtudere ſatagunt. Eſt genus hominum, quod ſic ad voluntatem Regum ac Magnatum Iuſtitiam inflectit; vti Cocus ad delicatorum gulam & palatum edulia parare ſolet. Sunt qui vtilitati Principum, non Iuſtitiæ ſe deuotos, Iuramentique Religione deuinctos eſſe iactitare, glorioſèq; prædicare non verētur. Verumenimuerò, Conſiliarii vtilitatis ſolummodò rationem habentes, non publicam honeſtatem & Iuſtitiam reſpicientes; haud ii opes nouas, antè partis ſed diuitiis, Maledictionem accumulant Diuinam. Veriſſimum eſt Hiſpani cuiuſdam, politici Sapientiſſimi, Oraculum. *Is*, inquit: *qui ab officii ſui ratione, & prætenſione vtilitatis Principis, patrociniū Iniuſtitiæ quærit; hunc tu Conſiliarium non inde magis fidelem Principi; ſed eum priuatæ cuidam intentioni colorem obducere, præſagire potes. Quia commodum alterius, nemo præponit Conſcientiæ ſuæ, niſi inſimul priuatum indè ipſemet ſperet emolumentum.* Sed & audiamus inſignem quendam Politicum Germanum: *Sic vult Dominus, ſic iubet. Neſcis quòd iurâris commodum prouehere? Tales apud multos Dominos multùm valent, nec indè paucillum commodi ſentiunt. At verò deteſtandi ſunt vt hirudines Populi, vaſtatores, lupi rapaces, homicidæ pauperum, Dæmonum inſtrumenta, Dei flagella peſſima, mancipia auaritiæ. Quin potiùs ſuaderent, vt euitarentur ſuperuacanei ſumptus; & in Aulico miniſterio non alerentur plures, quàm neceſſitas expoſtularet.* Tales ideòque Conſiliarios pius Princeps, Mammonis omnes qui ſunt Sacerdotes, mox à ſe reiiciat atq; ſpernat. Haud vnquàm Diuinæ qui Iuſtitiæ, qui Deo ſunt infideles, alicui Principi fideles fore, firmiter ſibi habeat perſuaſum.

Pro Plancio. f. 634.

Anton. Perez. in Aphoriſm.

Adam. Keller. 2. d. offic. Iuridico polit. c. 8. f. 328.

CI. Non prudens Princeps Anaxarchum Abderitem (Sophiſtam

ſtam illum veriùs dixerim quàm Philoſophum) audiat: quem & noſter quoque Plutarchus reprehendit; quòd Magnum Alexandrum Macedonem, illum Mundi totius tremorem, mœſtum ac lugentem, ob Clyti, à ſe per calorem iracundiæ interfecti, obitum, ſolaturus: ita dolorem ac tædium (quod ex pœnitentiâ perpetrati facinoris, quâ ducebatur, Princeps contraxerat) leuare Philoſophus ac minuere rentauit. Et ingreſſus, ita exclamauit: *Hicné eſt Alexander, in quem nunc totus terrarum reſpicit orbis: is verò proſtratus iacet, tanquàm vile mancipium, timens Legem & vituperia hominum; quibus ipſe debet eſſe Lex, & terminus iuſti. Victorias obtinuiſti, vt imperes & domineris; non vt ſeruias mancipatus inani opinioni. An ignoras,* inquiebat Anaxarchus, *Iouem habere ſibi aſſidentem Iuſtitiam & Fas; vt quicquid fuerit factum ab eo qui ſummum rerum obtinet, id ſit Fas ac Iuſtum.* Quibus ſermonibus, Regis dolorem minuit quidem Anaxarchus; ſed eius Mores, reddidit arrogantiâ inflatos, & minus Legibus obtemperantes: ſeipſum autem ad Regis beneuolentiam mirificè inſinuauit. Sunt ſanè Principes, ægrè qui ferunt, publicis ſi Iudicibus rem committi roget oppreſſus. Expertus hoc eſt Platina hiſtoricus: ad quem toruis oculis adſpiciens Paulus II. Pontif. Maximus. *Ita nos,* inquit, *ad Iudices reuocas, ac ſi neſcires omnia Iura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe? ſic ſtat ſententia; loco cedāt omnes, eant quò velint, nihil eos moror. Pontifex ſum, mihiq́ licet pro arbitrio animi, aliorum acta & reſcindere & approbare.* Haud vnquàm caruit Mundus Principibus huius naturæ ac morum. Non vllo defuerunt ſeculo miniſtri Magnatum, tales qui fouerent opiniones. Quod ad Achabum dixit Izebela, cùm indignabandus eſſet, poſſeſſionem Maiorum ſuorum quia tradere ei recuſabat Nabothus: *Tuné nunc exerces Regnum ſuper Iiſraëlem?* Hoc eodem, furorem inconditum ad effectum criminis Iulia roborauit, cùm Antonino priuigno reſpondit: *Si libet, licet. An neſcis, te Imperatorem eſſe; & dare, non accipere Leges?* Verùmenimuerò, operibus & effectis Iuſtitiæ, nil conuenientiùs Regi, nihilque magis vtile eidem reperiri, nunquàm non ſuadeat Conſiliarius noſter. Semper is cum Homero conſeat; Reges gubernare & ſeruare, non Machinis bellicis, aut nauibus ære compactis: ſed Iure ac Legibus à Deo acceptis. Et hinc idem Homerus, non Iouem nominat Deorum Bellicoſiſſimum, nec violentiſſimum, nec qui ſtrages multas ediderit; ſed Iuſtiſſimum conſultorem, & Iuſtitiæ alumnũ.

In vita Pauli II

1. Reg. 21.

Spartian. in Caracalla.

Non aliâ ratione, licentia præ cæteris maior Principi est concessa; quàm ad Iustitiæ promotionē. Et id est, quod dicitur: *Principes tantùm facere posse, quod secundū Sacras & Diuinas Regulas est permissū.* Grauissimè Iustitiæ Martyr Papinianus: *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt; nec credendum est nos facere posse.* Pariæ sunt impossibile & turpe; in nostrâ potestate non esse, & esse iniustum. Ipsamque decet Maiestatem eas seruare Leges, quibus esse videtur exsoluta.

n. 82. ad fin.

.d. cond. instit.

3. d. legat. 3.

Vbi non est pudor,
Nec cura Iuris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile Regnum est.

Et Principum æquè ac priuatorum, si mala sit vita, non potest esse Mors tranquilla. Hincque Fridericus III. Imperator; *Iis Principibus, qui immites & crudeles erga suos fuissent, mortem nimis extimescendam esse dicebat. Nam quales se dum vixerunt aliis præstitêre, tales cùm moriuntur in se Iudices inuenturos esse.* Et ergò ad summam, in hæc, quæ dixi omnia recidere videmus: primùm & luculenter vt sciamus; Prudentiam Ciuilem ac Iuris artem, si Iustitiæ non semper intueatur scopum, nunquàm non aberrare; Iustitiam præ oculis si habeat, Spiritus Sancti omnipotēti auxilio iuuari, gubernariq; semper, & nullius difficilem esse dubii decisionem.

n Sylu. lib. 2. ral. Alphons.

CII. Denique, cùm sit Sapiens quidam velut humani generis Pædagogus; hi qui Rempublicam non quidem administrant, sed ad hominum qui vtilitatem, prudentiam suam, intelligentiamque potissimùm conferre student; multos erudiendo nimirùm, quò meliores vtilioresque in Rebus suis publicis Ciues sint: ii in priuato, publicum vt qui maxumè negotium agunt; & *Professores*, hoc est, Publici Doctores indigitantur. Quo munere, Tacito teste, minimè destruitur, sed dignitas omnis augetur. Hi namq; non Reipublicæ vnius, sed totius generis humani curam gerunt. *Nec* etenim *is solus* (vt Sapientissimi Senecæ verbis vtar) *Reipublicæ prodest, qui Candidatos extrahit, & tuetur reos, & de Pace Belloq; censet: sed qui Iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum Præceptorum inopiâ, animos instruit Virtute.* Ac horum ideò ea sit cura prima, nihil vt dicant faciantvè, malum in Auditorem vnde transferri possit Exemplum. Neque probatis tantùm Moribus erunt; verùm & prudentes quoque. Tum Ingenium habeant accommodatum, ei quàm

iues d. trad. dipl. Marcell. Lyema, Oratione d. ign. Professor. Instr. Matth. Stepani c. 3. de Academ.

Tacit. 13. Annal.

quam profiteri cupiunt Arti; iique quos in disciplinam receperunt cohorti Auditorum. Quid discipulorum ingenio conueniat, haud sint ignari, quantumque ferre valeat quisque? Rescissis ergò illis Commentariorum Quæstionibus prælongis, ea in medium tantùm afferre debent, Discipulorũ quæ ingenium illustrare magis, quàm obruere valent; verùm à falso, vtile ab inutili secernentes: paucis ipsi exponant, quæ interim multo tempore & labore decerpere insudârunt. Itaque sicut Agricola ex paleis grana, Faberque Aurarius, ex aurifodinarum fece purum expurgat aurum: non secùs prudentes illi Magistri, vtilia ab inutilibus; à superuacaneis optima seponant, quæ luculenter suis posteà discipulus dictent. Nec (quod Bartolus fecit, cùm Legem *ætate. ff. de minor.* interpretaretur) integrum quinquennium absumant in Legis explicatione vnius. Sed hîc illud obmittere nõ possum, quod in quâdam ad Georgium Sabinum Epistolâ, memorat Viglius Zuichemus. Cùm ait: *Quantùm quidem ego intelligo, quicunq; Iura cum auditorum vtilitate docere voluerit, eaq; siuè ad priuatas Clientulorum caussas defendendas, siue publicas arduasq; res administrandas prudenter accommodare, alios docere velit: ei non satis erit quemlibet magnum in Scholis fecisse Iuridicæ scientiæ profectum. Verùm inprimis necessarium erit, vt Iuris scientiam in Foro, Iudiciis, Consiliis exercuerit, &c.* Id quod hodiè cùm negligatur; Scholas & ipsum Iuridicum Studium euertere, & in nescio quam Andabatarum similem pugnam, commutare videtur. Tribus porrò Professores eluceant luminibus dicendi; dicant nempè dilucidè, probabiliter dicant, dicantque breuiter: hôc memorem, isto credulum, illo facturi intelligentem. *Id agere debet*, quod ait Diuus Augustinus, *Doctor & Ductor: vt non solùm intelligenter, verùm & libenter & obedienter audiatur.* Humani misereantur generis, cæci ac inter tot discrimina constituti. Dominum ac Magistrum nostrum ad ipsos quoque clamare putent: *Vos estis sal terræ: Vos estis Lux Mundi. Quòd si obscuretur Lumen, quis contuebitur? Si sal infatuetur, quid salietur?* Haud quæri debent Litteræ velut instrumentum, otiosus quo victus paretur: indignum est id præmium tam præstanti labori. Hanc sententiam ipsi Magistri, re ac vitâ si expresserint; facilè credent Alii eam esse veram. Altâ semper stet nobis mente repôstum, quod prudentissimus monet Politicorum: *Auctores Studiosis esse debemus, vt cum nostrâ Arte hauriant puram*

Parlador. ad fin. rer. quotid. in Epist ad filios.

Richard. in eius vita.

Sabin. in Epist. f. m. 445.

Mercer. 1. opin. 3.

d. doctr. Christian.

Eberh. à VVeihe, ad fin. Orat. d. Iure Canon.

Religionem, pietatem, candorem, integritatem, fortitudinem; & si non armis, voce sint parati ad propugnandas Politias: nullis cedant terroribus, nullis molestiis, nullis difficultatibus. Impauidum & infractum in sententiâ verâ defendendâ gerant animum; abiectum, Papinianum nostrum secuti, relinquant. Experimur quidem, & nobis gratulamur, prouentum doctissimorum hominum ingentem; vt satis sit in Germaniâ doctrinæ, sat eruditionis, sat eloquentiæ; at Virtutum, probitatis, innocentiæ, &, vt vno verbo dicam, Conscientiæ parum. Optimis selectissimisque Viris, artium & disciplinarum magisteria committi debere, rectè voluit Plato: ideò, quòd præstantium in Republicâ gerendâ hominum, tanquàm seminarium hoc sit; in quò plantæ stirpesque, tantò nobiliores essent futuræ, quantò sapientiores & maioribus præditi donis, itemque honoratiores earum culturæ præficerentur. Ipsum hoc profitendi munus, si non simulatè, sed ex fide sustineatur; nemo id certè tanquàm minùs nobile fastidiendum esse censebit: Leges ni ipsas vituperare & contemnere audeat, temeritate furiosâ. De Doctis & Doctoribus, eloquia quod pronunciant Diuina: *Qui ad Iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi Stellæ in perpetuas æternitates.* Hoc quis vnquàm polliceri ausit iis; solâ qui Nobilitate, suâ qui Familiâ, maiorum qui Statuis, fumosisque ceris, in terrestri hâc miseriarum valle, præ aliis splendescunt.

CIII. De Professorum autem officio, non est quòd pluribus nunc dicam; operam sed magè sedulam dabo, ipse vt re ipsâ, boni Professoris exprimam partes: illudque obseruem Diui Bernhardi; *Non est gratum Spiritui Sancto quicquid feceris, neglecto eo ad quod vocaris.* Et quidem cras, horâ, huic meæ Lectioni destinatâ; *de Iurisdictione* (quod caput in toto Iure, vt difficillimum, ita vtilissimum esse censetur, & summè iucundum) sic iubente Amplissimo venerandoque Iustitiæ nostræ Sacrario; Methodicum incipiam tractatum, viriumque mearum periculum * faciam. Sine Dei autem Sapientissimi auxilio, functionem quia hanc grauissimam, benè feliciterque non obire me posse, perspectum habeo planissimè: quia cùm vires meas metior, cùm tento lacertos; huic me oneri prorsùs imparem agnosco. Sed ardēti quia Precationi, auxilium Dei propè semper adest, *Deusq̃, inuocatus, res penitùs desperatas donat*, quod noster nos docet Imperator: Salomonis ideoque exemplo, ad supplices confugio Preces; Deumque beni-

** Quod factum 14. Augusti 1610. h. 4. post merid.*

Const. d. concept. ff. §. 2. ad fin.

benignum, omnis Boni largitorem, vnicè obsecro, oro: Animam vt mihi det intelligentem ad docendum, ad discernendum inter Bonum & Malum. Beatus vt prædicari possim, *Iustitiam quòd enarrem Auri audienti.* Et vos quoque omnes, Auditores, Lectoresque simul omnes, idem vt mecum oretis, precor, obtestorque. *Ecclesiast. 25.*

DIXI.

Synesius, Dione.

Ἠγώνισαί γε πρὸς τοὺς ἀμούσους ὑπὲρ μουσῶν, οἳ καὶ κακοήθως ἀποδιδεδράσκουσι τὸν ἔλεγχον τῆς ἀμαθίας, ᾧ καταφεύγειν ἐπὶ τὴν λοιδορίαν ὧν ἠγνοήκασιν.

DEpugnatum est pro Musis, aduersus ineruditos, qui malignè declinant crimen ruditatis & imperitiæ; dum confugiunt ad vituperia illorum quæ ignorant.



D. Augustin. lib. 10. Confess. cap. vlt.

ECce Domine, iacto in te curam meam, vt viuam: & considerabo mirabilia de Lege tuâ. Tu scis imperitiam meam, & infirmitatem meam: doce me, & sana me!

*

Aeternam propter vitam & Cœlestia Regna,
Et labor & cura, tibi sint suprema voluptas.

*

Si homines docuit Patriæ postponere vitam
Vana superstitio; quantò nos iustiùs omnes,
Vere DEVS, Tibi nos & nostra sacrabimus vni.

Papinia-

Papinianea Securis:

TUBINGÆ,

IN ACTU DOctorali ſollemni,

ANNO M.DC.XII.

Die 10. Nouemb.

JURISPRUDENTIÆ CUIdam Candidato intimè commendata;

à


Christophoro Beſoldo,

IC. & p.t. Decano.



Prouerb. 10. v. 7.

Memoria Iuſti cum Laudibus, & nomen Impiorum putreſcet.




Lucret.

Quid tibi tantoperè est, Mortalis, quòd nimis ægris
Luctibus indulges? quid Mortem congemis, & fles?
Cur non vt plenus Vitæ conuiua recedis,
Aequo animoq́ʒ capis securam stulte quietem?

Ioan. Sambucus. in Emblemat. f. m. 179.

Nullius sceleris qui conscius esse putatur,
Cur fugiat mortem? funere maior erit.
Namq́ʒ bonus culpam si præstitit, omnia soluit:
Sunt reliqua exigui temporis, acta fluunt.

CVM





VM MONSTRVM ILLVD HVMAni generis Domitius Nero, Romanæ integritatis extincto flore, ad postremum etiam Virtutem ipsam exscindere desideraret, & Thraseã nempè Pætum Senatorem optimum, mori iuberet: tum Thraseas, accepto à Quæstore, qui supplicium exigebat Senatusconsulto, porrectis vtriusque brachii venis, postquàm cruorem effudit, humum super spargens, propiùs vocato Quæstore: *Specta Iuuenis*, inquit, *& omen quidem Dii prohibeant; cæterùm in ea tempora es natus, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis.* Ita sanè est, Concio illustrissima, omnique ex parte splendescens. Ita est, vt sapienter alicubi Aristoteles scribit: magis mouent Exempla, quàm verba; humanisq; minùs sermonibus, quàm operibus credi solet. Quemadmodùm in verbis Sapientia haud consistit, aut Linguâ vœnali; sed exprimenda est factis, firmitate animi, affectuũ imminutione: ita pariter, feliciùs* Exemplis factisque veterum, quàm rationibus & dictis instruimur eorundem. Pauci sunt, qui acumina rationum vel percipiunt, vel admittunt: opus est aliquo, ad quem mores exigant sese ipsi.

Tacit. Annal. 16. ad fin.

* *vid. Senec. epist. 6. & epist. 11. ad fin. Plutarch. in Demetr. à princip.*

2. Vllo verò vnquàm si tempore, fortibus & sinceris Exemplis, eos qui litteris operam nauant, excitari ac confirmari fuit opus; præsenti hoc nostro Seculo, quàm quo maxumè id fieri debet. Pauci nunc Litteratorum, Cœlesti quodam velut classico inflammati, aduersus molem difficultatum stant erecti. Hanc verè Philosophicam Maiestatem, illa Virtutum lumina Politicarum, illa robora pectorum Heroicorum, quæ melior Litteratura generare debebat; Auri sacra fames labefactat plerunque: germina illa generosa, Auaritia suffocat, omnium malorum radix. Auaritiam ponè adulatio sequitur, & degener animi vilitas; veræ fortitudini & constantiæ, non vllum quæ locum relinquunt. Adeò, vt nunc studia litterarum, non virtutis ob amorem, non vt rectiùs discant vel

viuere, vel mori; sed vt in malitiâ callidiores, in adulando vt cautiores esse queant, quamplurimi colere videantur.

3. Quemadmodùm autem boni, Liberorumque qui amantes sunt Patres, cùm peregrè mittunt Filios primùm; nunquàm non monitis probè munitos, eos abire sinunt: viarum compendia monstrant, insidias cauere docent, de hospitum instruunt technis, & nil quod sollicita suggerere potest cura, omittunt. Sic pariter & Ego, totus nunc in eo cùm sim, vt Huic mihi amicissimo Legum Candidato, Lauream in vtroque Iure summam imponam: hoc est, ex tranquillâ & vndique suauissimâ Studiosorum vitâ, in humanarum actionum intractabile pelagus transponam, inuidiæ & fluctibus tædiosorum laborum exponam; non equidem vacuum ab omni admonitione eum dimittere possum. Nec tamen in thesi vtiles præscribere monitiones, vel Virtutis cuiusdam operosè contexere laudationem: Vestrâ sed bonâ cum veniâ, Illustrissimi, Optimique Auditores, Illustre aliquod Virtutis, probitatis & constantiæ, proponere lubet Exemplum. Et nec illud aliundè, quàm ex Ordine nostro, sumere volo; nempe, Iuris conditorum integerrimi Papiniani, viatici loco, Candidato nostro, paucis Martyrium commendabo: quod fortissimus ille Iustitiæ propugnator subire, æquissimo atque animo crudelem Securim maluit ferre; quàm detestandum omni seculo, à Caracallâ perpetratum Fratricidium excusare.

Spartian. in Seuero, & Ant. Caracall.

4. Euge ergò, Amice amicissime, Securim illam Papinianeam, Legibus à Papiniani acumine profectis omnibus, potiorem habe; innumera continere mysteria politica, omnibus veræ Philosophiæ decretis, instruere te posse, nunquàm non probatum atque persuasum tibi esto. Lucrum vel damni metus, si vacillantem in viâ ingenuæ virtutis te reddit; Papiniani perseuerantiam suppone. Periculi si tempestas, fauoris vel aura, de recto cursu sattagit demouere; custos tibi, dux atque comes sit Papinianus. Summus ille splendor Virtutum exprimat ruborem, si in te haud efficit Religio Christiana; quod suo illi alumno, Philosophia præstitit Zenoniana. Hic verus tui studii fructus, hæc propria est gloria Philosophiæ nostræ non simulatæ; vt nihil ad gratiam, nihil ad Aulæ, vel Vulgi auram nec facias, nec dicas: nil quod contra Deum, contra Naturam, contra honestatem sit, vllo Iure existimes posse defendi.

5. At

5. At quid viles hîc nobis obganniunt *Placentini?* Omnium qui altiore sunt animo *Veronensium,* & *Papinianistarum* infesissimi inimici. Ad mortem adactum esse Papinianum acerbissimam, prętendunt; quam factum quoddam, infectum quod fieri nequiuit, excusando effugere potuisset. Mortuus est propter veritatem Papinianus: illi solùm, adulari vt queant viuere volunt. Ergóne vitam adhuc viueret Papinianus, pro Parricidâ si verba facere annuisset? quùm intra finem anni vertentis, cùm ipse Tyrannus, tum socii eius & amicissimi quique, ad Cereris generum, haud siccâ (vt cum Poëtâ loquar) descenderint morte. Ignorant planè rem pulcherrimam, vtilissimamque; Mors scilicet generosa, quid vitâ præstet flagitiosâ. Haud malum est, reddere animam Deo: sed turpiter viuere, pessimum habetur. Haud propter mortem, quam oppetiit, miser iudicandus est Papinianus: nec enim vllus euitauit illam vnquàm; nos omnes ex æquo illa exspectat. Sed quia propter Iustitiam mortuus; censendus est cumprimis, vel in ipso Infortunio Fortunatus. Haud illa Philosophandi ratio placet; in Bonis quæ Externis, vel Felicitatis locat partem, vel Felicitatem reputat augeri. *Arist. 1. Eth. c. 4.* Constantiam faciunt illustriorem; veramque produnt, & probant virtutem, Calamitates. Munera quæ Fortunæ putamus, insidias putato. Tutam quisquis nostrûm agere vitam volet, quantùm plurimùm potest, ista viscata beneficia deuitet; in quibus hoc quoque miserrimi fallimur, quòd cùm habere nos putamus, habemur: & quòd semper sperantibus meliora sunt, quàm assecutis.

6. At morte violentâ, subque Vltoris manu periit Papanianus? Monitum est sapientissimum Sapientum; demendum esse rebus tumultum, ac quid in re quâque sit introspiciendum. Quod pueris accidit, hoc ipsum quoque pueris maiusculis solet euenire. Illi quos amant, quibus assueuerunt, cum quibus quotidiè ludunt; hos, si vident personatos, expauescunt. Non hominibus tantùm, sed & rebus Persona detrahenda, & sua facies est reddenda. Si quis tibi gladios & ignes ostendit, & turbam carnificum, circum te frementium: Tolle istam pompam, sub quâ latet, & stultos territat. Mors est, quam quotidie sustinent quamplurimi. Quam Christus sanctificauit, quâ nos Saluator proprio præiuit exemplo: quæ nunquàm mala, si læta & tranquilla conscientia existat. Quid tu rursùs mihi flagella atque eculeos, apparatu explicas magno? quid

tu singulis articulis, singula aptas machinamenta, quibus extorqueantur? pone ista, quæ nos obstupefaciunt, gemitus conticescere iube, & exclamationes, & vocum inter lacerationem elisarum acerbitatem. Nempè dolor est, quem Podagricus ille à Venere & Baccho emendicauit, quem delitiis multis Colicus emit, quem in Puerperio perpetitur Puella. Anné ergò hæc, propter Iustitiã subire, non dicam Christianus; sed veriori Philosophiæ addictus quis vereatur? opera, non verba Philosophiæ qui didicit tractare. Papinianus noster, Adulatione differre supplicium potuisset: sed anné pro certo statuere potes, quòd prorsus illud hoc modo effugere valuisset? Bonus Princeps Adulatores amat interdùm: quis enim non quandoque blanditiis cedat atque assentationi? verùm eosdem supplicio tandem promerito constringit. Nec adulatoribus, neque admonitoribus parcit Tyrannus.

Lamprid. in Alex. Seuero.

7. *Vetronius Thurinus*, quem cùm familiarem habuisset Alexander Seuerus, optimus Imperator; ille omnia, vel fingendo sic vendiderat, vt Alexandri, quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, Imperium infamaret. Hunc accusari Alexander iussit, diligentissimè quæsiuit, antequàm eum damnaret; & inuenit, Thurinum sæpè, & in causis ab vtrâque parte accepisse, cùm venderet euentus; & ab omnibus, qui aut præposituras, aut prouincias acceperant. Eum ergò Imperator, ad stipitem ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit: Præcone dicente; *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Sanè, hic si Fumus frequentiùs conspiceretur, plurimorum occæcarentur oculi, nil nisi priuata qui commoda vident; & Boni exindè Ciues, luce fruerentur magis luculentâ.

Thuanus hist. lib. 1. fol. 13. Auctor historia d. Antiquit. Britannica Eccles. fol. 309. & multis seqq.

8. Fuit Auorum nostrorum memoriâ *Thomas Wolsæus*, Lanii filius; hic in Angliâ obsequio Regem, Aulicos affabilitate tractauit, & in omnium gratiam atque beneuolentiam facile irrepsit. Factus Episcopus Eboracensis, & Rege sollicitè intercedente, Cardinalitium galerum adeptus; blandis suasionibus iuuenem Regem, quocunque voluit traducebat: & verè, vt est in Prouerbio, callidus seruus Domino suo imperitabat. Hinc tanto fastu, & opinione sui inflatus; cùm de Regni causis maximis, ad Papam aut exteros scriberet Reges, ita plerunque litteras est exorsus: *Ego & Rex meus.* Tandem Exactionum suasor publicarum, & propter vitia, omnibus exosus; diù soli Regi cordi fuit: qui etsi superbiam

&cupi-

& cupiditatem eius inexplebilem non probâsset; attamen propter negotia quæ procurabat, eum è re suâ esse existimauit. Vtque post Clementem VII. Pontificiâ insigniretur mitrâ, prolixè Cardinalibus commendauit. Hunc denique, postquàm nil in eo rectæ atque integræ fidei; nec hominem, sed ex imposturis, rapinis, libidine & ambitione fabricatam contextamq; laruam esse perspexisset; toto etiam respuit animo, ad causamque dicendam euocauit. Qui vt supplicium præueniret, factus est homicida sui ipsius.

9. *Remerus Orcus*, vir crudelis atque promptus, à Cæsare Borgiâ, Alexandri VI. Pontificis Maximi filio, Flaminiæ præfectus; multa impotenter, multa crudeliter, nil non vt Domino suo, absolutum in eâ Prouinciâ stabiliret Dominatum, peregit. Cùm verò seueritatem illam, odii & inuidiæ haud parùm sibi conflâsse Borgias animaduertisset; arreptâ occasione, Præfectum illum in duas parteis discissum, summo quodam manè, in Cæsennatium medio foro exponendum curauit: feroq; isto spectaculo, momento temporis effecit, vt Subditi sibi omni ex parte satisfactum fuisse putarent. *Nicol. Machiaue in Principe cap. 7*

10. Quæ eo solùm fine commemoro omnia, omnes vt intelligant abundè: bonos Principes, eos cum Friderico III. laudatissimæ memoriæ Imperatore, charissimos habere ministros; magis qui Deum, quàm Principem reuerentur. Apud Tyrannos autem, necque ipsam perpetuò malitiam existere tutam. *Æneas Sylu. in parallel. Alphonsin.*

11. Nec est etiam, quòd parem semper metuant exitum, nostrũ qui imitando consectantur Papinianum. Sæpè ipso miraculo permouentur; sæpiùs candore ingenuo Principes vincuntur, ignauo qui silentio in crudelitate corroborantur.

12. Magna est Iustitiæ vis in eo, qui illius grauiter agit, tueturq; personam. Ludouicus XI. eo nomine Rex Franco-Gallorum, qui semper sui Iuris esse in censendo volebat; cùm aliquandò Legem ab eo sancitam, Parisiensis Curia pro more confirmare recusaret, cruces ac tormenta omnibus est minatus. Non huius periculi denuntiatio, ordinem amplissimum terrebat: sed vnâ Togati cõsulti omnes, Regem adierunt, & de inopini aduentus causâ rogati; mortem se præoptare Curiæ respondit Antistes, quàm Conscientiâ non suffragante, in Regis gratiam sententiam proferre. Benignior hoc facto redditus Princeps, Curiæ auctoritatem pristinam restituit lubens. *Estienne Pasquier 5. des Recherch. 2*

13. Idem apud Vespasianum, ingenua Heluidii Prisci licentia effecit. Hic, cùm ad eum Imperator dixisset, ne in Senatum amplius veniret: *Penes te*, respondit, *est, ne me Senatorem patiaris; quàm diu autem me loco non moues, est in Curiam mihi veniendum.* Age, at ingressus taceto, inquit Imp. *Ne me roga, & tacebo.* At est mihi rogandum. *Et mihi dicendum, quod putauero rectum.* Verùm, si dixeris, occidam te. *Quando ego dixi tibi, me immortalem esse? tu tuum facies, ego meum. Tuum est occidere: meum mori non trementem.*

Arrian. in Sermon. Epictet. Lib. 1. c. 2.

14. Non sanè libertate hâc, Imperii minuitur Maiestas, sed stabilitur. Deploranda est Principium conditio, quibus omnium ferculorum copiam, ad mensam cùm adferant ministri; nullus autem quòd sit, qui ferculum Veritatis audeat afferre. Desperatam eius Principis cense salutem, cuius aures ita formatæ, vt aspera, quæ vtilia, respuant: nec quicquàm accipiant nisi iucundum. Sed eius iam perdita est salus, vbi insuper Curia elinguis existit. Medicorum sententiam rogo: de eo quid censeant ægro; cuius appetitum, non rationem & morbi naturam sequuntur Archiátri. Hæc si Libertas è Republicâ tollatur; tum id, quod Diocletianus conquestus est, vsu venire solet. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum Consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit; cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur: facit Iudices, quos fieri non oportet, amouet à Republicâ, quos debebat retinere. Quid multa? *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.*

15. Breuiloquentem iam, cùm me tempus ipsum, huiusque loci conditio, facere debuerit: patientiæ tuæ limites, Concio Illustrissima, splendidissima, transgressus videri possem; nisi id quod restat, & cuius gratiâ præsens mihi prouincia est demandata, paucissima expeteret verba. Etenim quod in Felicitatis partem Cicero collocabat, id præsenti Vtriusque Iuris Candidato meritissimo, *M. Iohanni Georgio Sigvvardo*, contingit: vt nempè ad summos in Iure nostro adspirans Honores, vitæ & studiorum suorum rationem, non coram aliis, quàm cum quibus ab ineunte ætate vixit, reddere habuerit necesse. Et nec ideò opus sit, eius vt nomen, verbis nunc amplissimis ornem: memores si non cum tædio monere, & Homericum illud,

——Τάγε δὴ νοέοντι κελεύεις,

audire velim. Quomodò namque de eius pietate, liberali educatione, vitâque hactenus inculpatè gestâ, vllus ex nobis poterit dubitare? cùm omnibus perspectissima sit *Parentum* pietas, & assidua de Liberis haud licenter erudiendis cura, & grauitas cum modestiâ summâ: quibus conatibus nunquàm non benè precatur Benignus Deus. Diligentiam iam per quinque annos, & quod excurrit, in Lectionibus audiendis: eruditionem & ingenium in Disputationibus, tam opponendo, quàm pro intricatissimis Iuris nostri articulis, publici & priuati (in vno atq; altero Collegio) exercitii gratiâ propugnãdo, sat superq; testata fecit. Et iã modò, quantos in Iurisprudẽtia progressus habeat, in Praxi quã vocant, cui se nuper addixit (ac quæ studii nostri scopus est) satis superq; demonstrauit. Itaque cùm hisce diebus, in Vtroque Iure, illos quos Doctoreos vocant honores, submissè postularet: & iis qui insigniretur, tam in Disputatione publicâ, quàm vtroque in Examine, dignissimus fuerit inuentus. Inclytum Iuris Collegium, honestissimæ huic petitioni annuere, lubens voluit meritoque: & Mihi, vt Huic nostro Candidato, supremos hâc luce, vtroque in Iure honores, titulos & priuilegia, tanquàm virtutis & eruditionis eximiæ testimonium sollemne, publicâ tribuam renuntiatione, imposuit nominatim.

16. Id verò, Reuerende & præclarissime vir, *Dn. Andrea Osiander*, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor & Professor celebratissime, Tubingensis Ecclesiæ Præposite vigilantissime, Academiæ Cancellarie dignissime, Fautor & Patrone summâ obseruantiâ colende; cùm sine nutu & sollemniter à Reuerendâ tuâ Dignitate concessâ licentiâ, fieri omninò non possit: eandem à Reuerendâ tuâ Dignitate obnixè efflagito, vtque præsenti cultissimo, Legalis & non simulatæ Philosophiæ Candidato, promeritos in vtroque Iure honores, sollemniter conferendi, potestatem mihi benignè largiri velis, officiosè rogo. Quod si, vt speramus, obtinuero; non solùm præsens Dominus Candidatus, sed & cumprimis noster Iuridicæ Facultatis Ordo, omne vicissim studium, & quæ ab illis vbicunque præstari potest, operam spondent, quàm studiosissimam.

POST RESPONSIONEM DIGNISSIMI Dn. Cancellarii (quâ is simul quinq; Theologiæ, & vnius Iuris vtriusque Candidatorum Promotoribus licentiam pro more fecit) sequentia à C. B. superaddita fuerunt.

17. CVM itidem à Dignissimo Domino Cancellario, illud quod postulauimus, haut difficulter nobis fuerit concessum: quo nomine Dignitati ipsius Reuerendæ, gratias debitas agimus & habebimus semper. Aliud nil restare video ampliùs, quàm vt tibi Clarissime Domine Candidate, honores ab Inclyto nostro Collegio decretos, solito ritu, & inauguratione tribuam consuetâ: modò priùs solemni Iuramento (cuius formulam Notarius Publicus distinctè recitato) laudatissimæ huic Vniuersitati fueris obstrictus.

Hîc Præstatio Iuramenti intercessit, cuius hæcce Formula esse solet.

Primùm. *Velle in posterum, sicut retrò actis temporibus, venerationem & obedientiam; non solùm Decano, sed & toti Collegio Studii Iuris præstare: nullum legitimum detrectare Imperium.*

Secundò. *Velle Rectori, & Cancellario Vniuersitatis laudatissimæ nostræ Scholæ, & vices eorum gerentibus; honorem & venerationem deferre.*

Tertiò. *Velle vtilitatem non tam vniuersæ huius inclytæ Scholæ, quàm Studii Iuris, ad quodcunq; honoris fastigium euecti fueritis augere; damna verò àuertere.*

Quartò. *Velle Licentiæ aut Doctorea insignia, in nullâ aliâ Academiâ iterare, aut repetere.*

Quintò. *Velle, si oriatur de Fide Christianâ disputatio, & submittatur, aut tradatur etiam nostris decisionibus; partes Fidei, & veritatis pro virili tueri: rationes contrarias, & cauillationes penitùs destruere.*

18. Quod ergo Felix Faustumq; sit, Reipublicæ Christianæ fructuosum, studiis nostris salutare, & tibi tuisque vtile pariter atque honorificum: Ego autoritate quâ nunc publicâ fungor, *Te M. Iohannem Georgium Sigvvartum, Tubingensem* (in Nomine Sacrosanctæ, & solùm adorandæ Trinitatis) Doctorem Vtriusque Iuris creo, designo; ac talem publicè atque solemniter renuntio, proclamo: Teque iam & in posterum, Doctorem Vtriusque Iuris haberi,

beri, agnoſci & nominari volo, ac pro poteſtate conceſsâ iubeo, mando. Inſimulque concedo tibi Auctoritatem, dignitatem, ornamenta, eminentias, immunitates & Priuilegia cuncta, quibus Ordo noſter Doctoreus, de Iure vel conſuetudine vtitur, fruitur & gaudet; ampliſſima, maxima, omnia. Liceat tibi deinceps Iura publicè priuatimq; docere; Conſilium clientibus maiori cum fructu impartiri; de Republicâ adminiſtrandâ debitè ſuſceptis deliberationibus intereſſe; & denique omnia Doctoralia munia in te recipere, adminiſtrare, atque tueri.

19. Huiuſque rei in teſtimonium, vtque dignitatis huius ſplendor, atque præeminentia, magis magiſque in oculos omnium incurrat; & ut inſuper de rebus omnium máxumè neceſſariis admonearis: ex more priſco, primùm capiti tuo *Pileum Rubrum* ſeu puniceum impono. Hic Libertatis olim inſigne, veræ & ingenuæ te ſemper memorem faciat Libertatis; ex cognitione Veritatis & Iuſtitiæ quæ trahit ortum, & in bonâ Conſcientiâ acquieſcit.

Quiſnam igitur Liber? Sapiens ſibiq; imperioſus:
Quem neq; pauperies, nec mors, nec vincula terrent,
Fortis, & in ſe ipſo totus teres atq; rotundus:
In quem manca ruit ſemper Fortuna. ——

Horat. ſerm. lib. 2 Satyr. 2.

Nulla hæc Libertas patitur vincla.

Πρὸς τὸν Τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται;
Οὐκ ἔστι δοῦλος, ἂν ἐλεύθερος μόλῃ.
Ad Tyrannum quiſquis proficiſcitur;
Non ſeruus eſt, ſi liber illùc venerit.

Diog. Laërt. in Ariſtipp.

Libertatem hanc nunquàm perdidit noſter Papinianus. Bonus etiam ſi ſeruiat, Liber eſt; vt D. Ambroſius inquit. Malus, etiam ſi regnet, Seruus: nec vnius hominis, ſed quod grauius eſt, tot Dominorum, quot vitiorum. Quod Diuus Paulus alicubi ſcribit; Pretio empti eſtis, nolite fieri hominum ſerui: hoc Pileus hic hieroglyphicè tibi deſignet; nec tuæ, nec alienæ vnquàm mancipium fias cupiditati.

20. Porrò ergo, ne Libertatem pro Licentiâ ſumas: digito tuo *Annulum aureum* indo, & te indiſſolubili vinculo Iuſtitiæ annecto: illo nempè fine, vt cum Iureconſulto noſtro, ea quæ non honeſta, non iuſta ſunt; nec facere nos quidem poſſe, putes. Hoc Iuſtum, ad veram Nobilitatem, cuius hic Annulus quaſi teſſera eſt, iter monſtrat:

Euripides. Dictye.

Bonus enim vir, mihi Nobilis videtur:
Qui verò non iustus est; licet à patre meliore
Quàm Iupiter sit, genus deducat, Ignobilis mihi censetur.

Astydamus Tragicus.

Tutissima generis laus est,
Virum collaudare qui iustus fuerit,
Et moribus optimis, ac eundem vocare Nobilem.
Sed huiusmodi vel vnum inuenire, difficile est:
Et inquirentes ipsum infiniti sunt.

21. Denique *Librum* tibi *apertum* in manus trado; vt periculosum atque temerarium esse semper; inconsultis Libris de Iure respondere, recorderis. Vtque admonearis, sine cortice, quod aiunt, natare, suis qui opinionibus & placitis duntaxat, se aliosque audet saginare. Docti hi sunt Magistri; fideles sunt Praeceptores, fidelissimi Consultores.

22. Et haec Symbola, hosce si ritus, non perfunctoriè aspicies; sed Mysteria eorum, latentemque interpretationem insculpseris menti: Philosophicamque si libertatem, quâ nunc donatus; Iustitiae connubium, & commendatam tibi discendi assiduitatem, si nunquàm obliuione permiseris sepeliri: haud dubito, quin splendidissima illa, quibus iam polles Priuilegia & ornamenta, in Diuini Nominis honorem, Ecclesiae gloriam, Reipublicae vtilitatem, communis Patriae decus, Bonorum patrocinium, Malorum disturbium, Iustitiae augmentum & gaudium, fructuosè ac salutariter sint cessura: Pro quo, vnâ mecum Omnes, Deum Optimum Maximum votis sollemnibus veneramini.

DIXI.

*** *** ** **

Illi qui reguntur instinctu & lumine Divino, non debent expendere res suas ratione & Iudicio Humano; sed in omnibus sequi Lumen Diuinum.


* * * * *
* * *
* *

CHRISTOPHORI BESOLDI, IC.


DE PERICVLIS NOSTRI SECVLI

ORATIO.

Habita (cum in Academia Tubingensi, sollemnitate consuetâ, Rectoris deponeret munus) Anno 1614. ipsâ Div. Lucæ dicatâ Die.



Terra fremat, Regna alta crepent, ruat
Ortus & Orcus;
Cui Comes est Christus, nulla ruina
nocet.



Sub Nomine

Pietate & verâ Virtute, æquè ac genere Nobilissimi Viri,

DN. GEORGII CHRISTOPHORI

à Schallenberg/in Leonbach & Biberstein/&c. Equitis Austrî:

Orationem hanc, neq; studio & labore conquisitam, neque arte confectam, propensiori voluntate quàm vberiori facundiâ perpolitam; apparere volui


CHRISTOPHORVS BESOLDVS.

Non vt eâ quicquàm accedat Illustri ipsius Nobilitati:

Sed ne beniuolentia, affectio & amicitia, quâ mihi coniunctissimus est, ad alios careat assiduo Teste;

L. mq;. Perp. & Publ. heic ponere placuit Monimentum.

QVOD



QVOD hactenus ita obseruatum habitumque fuit, vt cùm Rector Academicus, quasi cursu defatigatus, in alium munus gerẽdum abs se transfert, & integro lampada, quod aiunt, tradit; id haud mutis occultisvé cæremoniis perficeretur: sed insimul, vel dignitas officiumque Magistratus, pro Concione exponeretur; aut verò Studiosi, ad munus atque pensum sollemni commonitione reuocarentur. Id ne forsan ego negligere, leuiterque ferre videri queam; breuiter impoliteque, Pericula summa maxuma, quæ hoc nostro Seculo in Respublicas Christianas propè omnes, vndecunque intentantur: cumprimis ex Signis atque Præsagiis, ferè semper non nisi Imperiorum interitus acerbos, ruinasque internecinas antegredi quę solent, deducere; & vt manifestò deprehensa appareant (quantùm possum atque licet) efficere conabor.

2. Sanè dum alii opinionibus suis lasciuientes, auream Felicitatem nostro Seculo Imperioque, adulatoriâ inanitate adpromittere non desistunt. Nos quotquot Sapientiæ operis increscere conamur, præcipuè decet, futurorum considerationes exquirere solidiùs; neque vulgari & Voluntati magis, quàm Veritati accommodato sensu, de rebus maxumis iudicium ferre. Ac quoque constanter Nobis persuadere, nihil vel ab Ordine nostro præstantius, nihil totius Reipublicæ commoditati vtilius dici; nihil æquè grauiter, Magistratus atque Subditos officii sui commonefacere posse: quàm si de circumstantibus, gliscentibusque Periculis Publicis, subindè edoceamur omnes.

Vid. Parnassum Boccalini. 2. c. 89.

3. At verò minimè nunc opus esse videtur; vt Naometrarum calculos inexplicabiles sollicitemus; aut cum Marsilio Ficino, Apollinis auxilium ad Numeros Platonicos illustrandos expetamus; Stellarumvé Nouarum miracula, Planetarum superiorum syzygias, aliasque Vanitates Astrologorum suspiciamus; aut quoque cum Trithemio & Cabbalistis, Angelorum dominia, Magi-

casq́ue signaturas indagemus, ex iisq; de impendentibus Rerumpublicarum Mutationibus, fidem faciamus.

4. Eas saltem Prænotiones, quas ex Moribus communiq; vitâ, sanior & planior sumit Philosophia, si excutiamus; non nisi tristi Omine præsentem prosequi Germaniæ Statum, & infausta quæque certissimo mentis præsagio poterimus augurari. Omnia scripturam illam horrendam, MENE, MENE, TEKEL, VPHARSIN (quam olim Chaldæorum Rex Belschatzar, in tectorio Regii Palatii exaratam vidit, & quam fini quoque seculi accommodat Mysticus Typus) ostentare, præ se ferreq́ue videntur.

...n.5.v.25.&c.

5. Haud equidem casu cæco, Fortunęq́ue volubilitate, Imperia destruuntur, non Fati iniquitate corruunt Regna: verùm, vt Diuinè olim Sapientissimus cecinit Solon;

Non Vrbem Superi cupiunt euertere nostram,
Et nobis nisi sint Numina læsa fauent.
Ipsi sed Patriam sceleratis mentibus vltrò
Conantur Ciues dilacerare suam.

6. Nunc autem omnia in peius ruere, & retrò sublapsa referri, adeò passim scelera atque rerum omnium confusiones succrescere, quotidiè experimur; vt nec Remedia, nec Morbos atque vitia, nos ampliùs ferre posse videatur: quod in corpore Politico, æquè ac in Humano, non nisi Mortem cruentam accelerare potest. Vndè qui negat nos in articulo admirabilis mutationis versari; eum vel nimis fortem, vel omninò stolidum esse oportet.

...rhard. à VVei... ...r. d. Successione ...A.5.b.

7. Auorum nostrorum memoriâ, densissimâ Antichristiani Regni caligine, benigno veritatis radio aliquantùm discusâ; vix dū purgatus æther nitere incipiebat, cùm Iniquitatis statim Mysterium, *Politicus Antichristus* operari exordiebatur: qui nunc gratiâ & hospitiis vbique florens, Relligionis negotia ex Status ratione diiudicare; Aulicasq́ue Liburnæ, in vicem ad quælibet præparatæ Scaphæ, Christi Saluatoris nostri Nauiculam adnectere satagit. Et cûm eius administri, Relligionem quàm maxumè fouere, pro eâq́ue vitam, si ita ferat occasio, profundere se velle, simulationis specie ostentent: interim in corde suo dicunt; Non est Deus. abominandam etenim quamq́ue perpetrant actionem; Iehouam non inuocant, & excedentes Populum eius, Panem comedere non verentur.

Psal. 14.

8. Varia est hodiè diuersitas Relligionum atque Confessionū, Ingenio

Ingenio & Armis de rebus Fidei nauiter decertatur; eoque conspirationem & cōcordiam omnium Ordinum, ad defendendam communem Libertatem, quàm maxumè impediri, conqueruntur haut Pauci: & nihilominùs tamen Epicureismus atque Atheismus, apud omnes Mortales vbique qui sient, numero quotidiè ingrauescit. Verbum & Spiritus Dei, nobis nunc est probro, non delectamur eo: quamobrem effusurus est excandescentiam suam super paruulum foris, & super cœtum iuuenum pariter; quin etiam vir cum fœminâ capientur, senex cum decrepito, & deuoluentur domus eorum ad alienos, agri & vxores pariter. dictum IEHOVÆ! *Ierem. 6. v. 10.*

9. Nihil hîc dicam de Christianâ Perfectione, Christique Saluatoris nostri Imitatione, quam toties inculcat Scriptura S.S. Quę iubet, vt mites simus & humiles corde; vt cum Christo patiamur, *Matth. 11. v. 29.* si velimus cum eo glorificari; vt affectemus Charitatem, Spiritua- *Rom. 8. v. 17.* lia ambiamus: vt simus Sal Terræ, vt existemus Lux Mundi, Vrbs *1. Cor. 14. v. 1.* posita super montem; vt opera nostra videant Gentes, & glorifi- *Matth. 5.* cent Patrem: vt plus quàm Pharisæorum abundet Iustitia nostra, si Cœlorum atria ingredi velimus. Quæ, vt omnia fermè verè Religiosa, ridere solemus. At vereor vt Hæretici, aliiq; qui Christum nunquàm cognouerunt, tolerabiliores habituri sint pœnas: quibus, si dicere licet (quamuis Veritas magis, quàm Offensio sit cogitanda) in tantùm vitâ, externâque honestate sumus deteriores; quantùm nos ratione Veritatis nostræ Confessionis, iis sumus meliores.

10. Si Sodomitæ, ex Saluatoris nostri Iudicio minus damnabiles sunt, quàm cuncti Euangelia negligentes. Certissima ergò ratio est, quâ & nos peiùs aliquando timere debeamus; qui non solùm in plurimis Euangelia negligimus: sed & vsitatis ac quasi facilioribus malis, nolumus iam esse contenti. Non sufficiunt enim multis consuetudinarii reatus, etsi atrocitate inhumanissimi, re tamen ipsâ ad humanas iniurias pertinentes; nisi *Blasphemiæ* mentium furiosarum, in ipsam etiam Diuinam Maiestatem manus iniicerent subindè. Haud pauci, non in ore habent Christi nomen, nisi vt peierent. Sacramenta & merita eiusdem, non videntur iam Mysteria esse, sed sermo. Et cùm scriptum sit; Non nominabis nomen Dei tui in vanum: in id decidit reuerentia Sanctissimi nostri Saluatoris; vt inter cæteras Seculi vanitates, nil iam penè vanius, *Matth. 10. v. 15.*

quàm

quàm Christi Nomen eiusque Sacramenta esse videantur. Multi non otiosas tantùm res & aniles, sed etiam Scelera quædam, se iurant per Christi Nomen & Sacramenta esse perpetraturos. Quo certè crimine (licèt nullum admodùm malum facinus ratione subsistat; quia cum ratione non possunt scelera coniungi) nullum tamen, vel irrationabilibus, vel insanabilius esse puto. Vellem mihi in hoc loco, ad exequendam rerum dignitatem, parem negotio eloquentiam dari: scilicet vt tantùm virtutis in querimoniâ esset, quantùm doloris in caussâ; & quò effrænatum atque præcipitem hunc furorem, ex meritò detestari possem.

11. In nobis patitur Christus opprobrium, in nobis patitur Lex Christiana maledictum. De nobis dicitur; Ecce quales sunt, qui Christum colunt: falsum planè illud est, quòd aiunt, se bona discere; quòd iactant, se Sanctæ Legis præcepta retinere. Si enim bona discerent, vtique boni essent. Talis profectò Secta est, quales & Sectatores: hoc sunt absque dubio, quod docentur. Quàm graue autem, ac piaculi singularis malum sit, nomẽ Diuinitatis in blasphemiam gentium dare, Ezechiel nos docet Propheta, cùm ait: Sic dicit Dominus Iehoua. Ista Hierosolyma, quam ego in medio Gentium collocaui, mutauit Iura mea in improbitatem, plus quàm Gentes ipsæ; & Statuta mea, plus quàm regiones quæ circumstant eam. Idcircò sic ait Dominus Iehoua: Eò quòd cumulatim plus quàm Gentes ipsæ, quæ circumstant vos, in Statutis meis non ambulâstis, & Iura mea non fecistis; ac ne quidem secundum Iura Gentium quæ circumstant vos, ambulâstis. Idcircò sic ait Dominus Iehoua: Ecce me irruentem in te, vt efficiam in medio tui Iudicia, in oculis ipsarum Gentium. Facturus enim sum in te iudicium, cuiusmodi non feci, & cuiusmodi non sum facturus ampliùs; propter abominationes tuas.

cap. 5.

12. Verùm non blasphemiâ solùm, Nos qui Christiani satagimus nominari, perdimus vim tanti Nominis, vitio prauitatis. Etenim nullum penè angulum, non plenum omni offensione, & omni lethalium Peccatorum labe, conspicere licet. Graphicè mores sui Seculi describit Saluianus Massiliensis: *Omni studio*, ait, *omni nisu, non solùm iussa non facimus; sed contra id facimus, quod iubemur. Iubet enim Deus, vt omnes nobis inuicem carissimus; omnes autem nos mutuâ infestatione laceramus. Iubet Deus, vt cuncti egentibus sua tribuant; cuncti admodùm aliena peruadunt. Iubet Deus, vt omnis qui Christia-*

Christianus est, etiam oculos castos habeat: quotus quisq; est, qui non se luto fornicationis inuoluat? Et quid plura? Graue & luctuosum est, quod dicturus sum: Ipsa Dei Ecclesia, quæ in omnibus esse debet placatrix Dei, quid est aliud, quàm exacerbatrix Dei; aut (præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt) quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina Vitiorum? Et paulò pòst: *Si vult quispiam scire, quid in Templo huiusmodi Homines cogitauerint, videat quid sequatur. Siquidem consummatis sollemnibus Sacris, statim ad consuetudinaria omnes studia discurrunt; alii vt fornicentur, alii vt latrocinentur: vt euidenter appareat, hoc eos esse meditatos, dum intra Templum sunt, quod postquàm egressi fuerint, exsequuntur, &c.* Hosce mores modosque, sequuta mox est irruptio variorum Barbarorum; quæ non Imperium modò, sed & linguam atque nomen propè deleuit Romanorum. Interrogo Conscientiam veriorum Christianorum: An non idem fermè de nostri Seculi peruersitate, quod Sanctus ille Saluianus de suo tempore, pronuntiari queat? An non audeant passim multi, etiam in celebritate sollemnitatum Diuinarum, intra parietes Ecclesiæ concupiscere, & agere negotiũ procurandi fructus mortis? Et quis dubitet ergò, quin mox passura sit Respublica nostra, id quod diu meretur? quod Iudæis, Romanis, aliisque Populis ob similem factum est caussam: ni citò Pœnitentia correxerit, quod Licentia deprauauit. Interim tamen reprehensio nulli est grata: immò quod peiùs multò est, quamlibet malus, quamlibet perditus; mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi, & falsarum laudum irrisionibus decipi, quàm saluberrimâ admonitione conseruari.

13. Quis nescit nostrum hoc Seculum obscœnis Lubidinum telis, præ cæteris ardere: adeò, vt terram non sedem hominum, sed Ætnam dicere possis flammarum impudicarum. Malè interdum obseruatur, quod in Testamento suo disponit Ruben filius Iacobi Patriarchæ: *Fugite Fornicationes Filii mei; præcipite Mulieribus & Filiabus vestris, vt non ornent se in capitibus, & visus earum castigent: quoniam omnis Mulier dolosè agens in his, in punitionem Seculi est reseruata.*

14. Omnis nostra regio, aut est intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis; vt verè possessores terræ eiusmodi, non tam soli istius portionem, quàm Paradisi imaginem possedisse videamur. Officiosiores

absque dubio Deo esse debueramus, quos specialiter abundantissimâ beneficiorum suorum ditauerat dote. At his ipsis cùm offenderemus Deum, & Benedictionem verteremus in occasionem multiplicium Peccatorum; Fame rerumque propè omnium inopiâ, coërcere nos voluit clemens noster Deus. An fuit hoc temporibus nostris, aut temporibus Maiorum nostrorum: reliquum grādinis perdidêre niues, reliquum à niue, aut cōmedit bruchus, aut exsiccauit ardor, aut pluuia vastauit. Erubescunt Agricolæ, eiulant Vinitores, propter triticum & propter hordeum, quia periit messis agri. Cùm saturati fuerunt temporis felicitate, elatus est animus
Cap.13.v.6. eorum, simùl obliti sunt mei, apud Hoscheā, Iehoua ait. Non diximus cum animo nostro, reuereamur iam Iehouam Deum nostrum, qui dat pluuiam tempestiuam & serotinam tempore suo,
...m.5.v.24. statuta messis seruat nobis. Nunc itaque fregit baculum panis,
...ch.4.v.16. ita vt multi comedant panem pondere, ac cum sollicitudine aquas bibant.

15. Expergisci debuissent Ebriosi, ac flere, & eiulare omnes
Ioel. 1. Vini potores. Sed profectò, cùm paternâ hâc castigatione vocare nos voluerit Iehoua ad fletum & ad planctum, ad caluitium atq;
...22. v.12.13. cilicii cincturam: Ecce lætitiam, & gaudium! Superfluè multa prodigimus, & esurire Pauperes sinimus. Sicut Dauid excogitant sibi Musica instrumenta, bibunt in Crateribus Vinum; neque affi-
...os.6.v.6. ciuntur ęgritudine propter confractionem Iosephi. In vnâ eâdemque Vrbe, Esurientium lamentationes, & Bacchantium vinoque insanorum clamores exaudiuntur: quamnam in Cœlo harmoniam, discors hic concentus efficiat, Quæso tandem seriò consideremus. Væ qui surgunt summo mane, vt potum sectentur inebriantem, prorogantibus ad crepusculum vsquè, in quorum conuiuiis est cythara ac nablium; opus autem Iehouæ (pauperem nimi-
...5.v.11.12. rùm) non intuentur, & non considerant factum manuum eius. In res inutiles profundere Diuitias, quæ in numero vtilium sunt, Hominis est Iuuentute insanientis, aut Senectute delirantis. Distribue mihi potiùs opes illas quibus diffluis, in Ciues tuos, sanè & in Aduenas egestate laborantes: & requiem inueniet Anima tua; quam aliàs teterrimæ illæ voluptates exagitabunt post mortem. Seriò & semel dico, non puto Vitâ Æternâ dignum esse, qui superfluis abundat; & Christum patitur in membris suis indigere.

16. Pauperum oppressio, pretia omnium singularumque rerum,

ærum;& prodiga luxuria ad summum peruenerunt: ita vt plùs vltrà spe nostrâ procedere haut debeamus. Ademit nobis Deus paucos ante Annos Arbores fructibus olim abundantes, Pestem exindè submisit, nunc nos Fame affligit; omnes tentauit vltionis gradus. Porrò vastitatem terræ, nobisque exilium comminare certò videtur: Benedictionẽ nî Pœnitentiâ retineamus. Vereor vt (quod olim de Iliacâ terrâ finxerũt, & inter caussas excidii Troiani Poëtæ numerârunt) Christiani Orbis pars maior, apud Deum summum conqueratur: portare se tot, tamque immania hominum monstra; vt si non iis citò leuetur, non potuerit sub onere tam infelici diù durare.

17. Nihil certiùs apud Politicos haberi solet, quàm vt Respublica talis nutet, languescat, & propediem sit collapsura; inibi quãdò suum quisque priuatum spectat emolumentum; omniaq; probè se habere censet, si ipse sibi suisque posteris prospexerit singulatim. Et id sanè interitus indicium, Periculique Signum, hocce præsertim Tempus nobis patefacit. Nescio enim quæ malè sana stoliditas, & incuria infatuauerit Seculum nostrum; vt nemo Publica, quilibet sua saltem satagat procurare, communium malorum planè incuriosus. Namque ex nostris capimus voluptatem, quam nos ex Publicis percepturos esse, ignauissimi desperamus. Et quod adhuc magis est humanitatis expers: Creaturæ resistunt nostræ Impietati; eas pœnas in malitiam conuertere nonnulli audent, ex aliorumque calamitatibus Lucri captare occasionem. Coniungunt domui domum, agrum adhibent agro, vt efficiantur habitatores soli, in mediâ terrâ. A minimo ad maximum, quisque est deditus Lucro, non curant contritionem Filiæ Populi mei, aït Iehoua. Thesauros faciunt violentiæ & vastationis in Palatiis suis. Comparant pecuniâ tenues, & egentem pari calceorum; anhelant deiecturi egentem, & deleturi pauperes terræ. Venatio Leonis, onager in eremo; sic pascua Diuitum Pauperes existunt.

Esai.5.v.8. *Ierem.6.v.13.* *Amos,3.v.10.* *Amos, 8.* *Sirach.13.* *Tarræus Hebus. Amphith.20.n.1*

Vis Charitas, hodiè quæ se complexibus aptis
Coniungant, Mundi pingere delicias?
Ebrietas pingatur, Auaritiam adde sodalem,
Luxuriem iungas; treis facis Euphrosynas.

18. Sed nec Pauperes labe sunt immunes. Iehouam ita loquẽtem audire videor, apud Prophetam Amos: Etiam ego dedi vobis munditiem dentium in omnibus Ciuitatibus vestris, & penuriam *4.v.6.*

cibi in omnibus locis vestris; nec tamen ad me vos conuertere voluistis. Etiam ego cohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menses superessent ad messem. Euagātur duæ, aut tres Ciuitates ad Ciuitatem vnam, vt emerent materiam panis, neque adhuc saturantur: & tamen non estis ad me reuersi. dictum Iehouæ! Percussi vos vredine & rubigine; crescentibus hortis vestris, & vineis vestris, ea consumpsit eruca: nec tamen accedit is ad me. dictum Iehouæ! Etiam Pauperes & miserrimi, non sunt nihilominùs tam miseri, quàm mali. Recesserunt priorum temporum facultates; Miseri iam sumus, & nec dum mali esse cessamus. Cumque etiam pupillis prodigis, soleat subuenire paupertas, simulque vt destiterunt esse diuites, desinunt esse vitiosi. Plerique tanquàm nouum genus pupillorum esse videntur; in quibus opulentia esse desinit, sed nequitia perdurat. Qui corrumpimur rebus prosperis, haud corrigimur aduersis: quos intemperantes pax longa fecit, turbarum metus præsens, haut facit esse moderatos; qui impudici rebus prosperis erant, non incipiunt asperis esse casti. Miseri pariter & Luxuriosi sumus. Quæso, quid aliud agere videmur; nisi vt cùm Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipsi exigimus, vt pereamus? Vim, vt ita dixerim, facimus Diuinæ Pietati, ac manus quodammodò afferimus Misericordiæ Dei. Cumque eius sit benignitatis, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera quæ admittimus, vindicare. Ac sicuti illi solent, qui munitissimas obsident Vrbes, aut firmissimas arces capere & subruere conantur; omnibus eas, & telorum & machinarum generibus oppugnant: ita nos ad expugnandam Misericordiam Dei, omnium peccatorum immanium scelere, quasi omni telorũ genere pugnamus; & iniuriosum nobis Deum existimamus, cùm ipsi iniuriosissimi Deo simus. Calamitatibus nostris reddimur peiores, assiduitas calamitatum, augmentum criminum existit: vt putares pœnam ipsorum criminũ, quasi matrem esse vitiorum. Deus vt credo, euidenter manifestare vult, cur pereamus; cùm per quam rem ad perditionem vltimam properamus, eam ipsam agimus cùm incipimus perire. Non vti meremur prosperis, quia non corrigimur aduersis.

19. Deus tanquàm indulgentissimus Pater, nunc asperis rebus castigat suos pro disciplinâ, nunc tranquillis pro indulgentiâ fouet. Sicut enim optimi ac peritissimi Medici, dissimilibus morbis curas dispares præstant, atque aliis per dulcia medicamenta, aliis per amara

mara succurrunt; & quosdam curāt cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate: ita etiam Deus noster, si quando nos plagis austerioribus cohercet, quasi cauteriis & sectionibus curat; quando autem rebus prosperis fouet, quasi oleo & malagmate consolatur. Per diuersam enim medicaminum opem, ad vnam nos vult perducere sanitatem. Sed nec blandimenta, nec indignationes Diuinæ, nos corrigere videntur. Quemadmodùm in Medicinâ extrema sunt media, quę vrunt atque secant: hæc ni proficiunt, certò subsequitur morbi finis, per mortem. Extrema remedia Deus ne in vanum tentasse videatur, curâ quæso studiosâ procuremus.

20. Diuitiæ priorum temporum nobis sunt ablatæ; Pax quam habemus, abituritionem minatur apertè: sola tantùm Vitia crescunt. Nil nobis de pristinâ reliquum est prosperitate, nisi sola omnimò crimina, quæ prosperitatem non esse fecerunt. Quis metuit mortem & irridet? nos & in metu Belli captiuitatisque ludimus, & positi in alimentorum angustiâ maxumâ, ridemus, peccamus. Sardonicis quodammodò herbis, Populum Germanicum putes esse saturatum; moritur & lasciuit. Quæ in iis spes aut remedium esse potest, qui ab vsitatâ impuritate, nec miseriarum egestate, nec vitæ extremitate reuocantur? vbi assiduitas calamitatum, augmētum criminum existit? Vbi autem vel apud nos emendatio, aut quæ pars Romani Orbis, quamuis afflicta, corrigitur? Omnes, vt legimus, declinauerunt, simul inutiles facti sunt omnes. Et ideò Propheta clamat ad Deum: Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas super petram, & noluerunt reuerti. Tanta Animorum vel potius peccatorum cœcitas vbique viget: vt cùm absque dubio nullus perire velit; nullus tamen id agat ne periret. Vereor vt in nos Domini irruerit Sopor: Sopor narcoticus, & perniciosior eo qui opio fuerit prouocatus!

Hierem. 5.

2. Reg. 26. v. 16.

21. In Ciuitate quæ de nomine suo vocatur, initium facit Deus afficiendi malis: sed nolumus agnoscere visitationem. Tentauit an Virga apud improbos aliquid proficere vellet; non autem factum est, dicit Dominus Deus. Duplicabitur ergò, imò triplicabitur Gladius interfectorum, Gladius interfectionis magnæ; qui Nos etiam in cubiculum persequetur. Educet Dominus Gladium irreuocabilem de vaginâ suâ. Ornatum habebitis in Capitibus ve-

Ierem. 25. v. 29.

Ezech. 21.

ſtris, & calceamenta in pedibus: non plangetis neque flebitis, ſed
Ezech. 24. v. 23. tabeſcetis in Iniquitatibus veſtris. Induet Iuſtitiam quaſi loricam,
Eſai. 59. v. 17. & galeam ſalutis capiti ſuo: induet vltionis indumentum, & quaſi pallio amicietur ſe Zelo. *Quò percutiam Vos amplius? augetis Apoſtaſiam!* ait apud Eſaiam, Iehoua.
Cap. 1. v. 5.

22. Excœcatio ſemper ruinam præcedere ſolet. Et nos Omnes in Securitate viuimus ſummâ: prænoſcimus Pericula nec formidamus. Mala Omina ſpernuntur ſecurè; nemo de veris remediis huic morbo deſperato applicandis cogitat: qui cogitant ab aliis ridentur, & de Sanitate ipſi deſperant. Fatalia ſunt ſigna, ſi ea nemo curet, & quæ ſignificata non vitantur.

23. Iuuenes iam peſſimis ſunt Moribus deprauati, à Spiritu Dei gubernari recuſant; in hocque ſimillima ſunt extrema Tempora, cum ſeculo Noæ. Et ideò, ſi quis de futuro Reipublicæ Statu aliquid præſagire velit; adoleſcentum iuuenumq; , virginum & puellarum inſpiciat vitam, & de peſſimæ arboris fructibus nocentiſſimis, infauſtiſſima quæq; diuinet.

24. Reſpublicas pleraſque ſi inſpiciamus, plus fermè talia occurrunt, mala quæ magis quàm bona prænuntiare ſolent. Vix iam aperta in lucemq; protracta ſcelera puniuntur. Primatibus optimi ſunt nõnunquàm, quos apud Deum peſſimos eſſe, coniicere deberemus. Principes malorum ſunt ignari, quæ eos obſident circũ circà. Reputationem paſſim firmitatemq; quærimus in externis, & apud exteros ſplendenti quodam Faſtu: Magnitudo interim negligitur interna. Principũ piorũ conatus probos, Subditi plerunq; calumniãtur: depeculari potiùs, quàm iuuare bonos Principes ſolẽt.

25. Generalibus terminis Rerumpublicarum euertendarum, πρώτως ſummo iure accenſentur Simultates, Seditionumq; flabella inteſtinarum. *Partialitas in Ciuitate, eſt tanquàm vermis in caſeo,* quod dicere ſolebat Baldus. Cui Andreas Barbatia adſtipulatur: *Diſcordiam* qui dicit *portam eſſe patentem ad introducendos inimicos.* At neſcio, an huic malo Germania vnquàm magis fuerit afflictata? gliſcent inter cineres ſcintillæ malè ſopitæ, diſſenſionum atq; odii Vatiniani: mox, ni Deus prohibeſſit, datura flammam ignemque latè ſerpentem.

26. Malis vndecunq; impendentibus, obuiare conamur mediis, quæ Humana Sapiẽtia promit. Inſolẽtiâ & elatione animi dicere videmur: Lateritia opera ceciderũt, ſed lapide cæſo extruem⁹,

Sycomori excisæ sunt, sed Cedros sufficiemus. At væ Filiis contumacibus, dictum Iehouæ, ad agitandum consilium, at non ex me: & ad obducendum tegumentum, at non Spiritus mei, vt adiiciant peccatum peccato. Concipitis torridum gramen, stipulam pariētis. Loquimini vanum, concipitis laborem, mendacium in lucem producetis. Reuersione & descensu seruabimini; in Tranquillitate & Fiduciâ erit Potentia vestra. *Esai. 9. v. 10. 11.* *Esai. 30. v. 1.* *Esai. 33. v. 11.* *Esai. 59. v. 4.* *Esai. 30. v. 15.*

27. Eruditio & Studia Literarum, plùs nobis obesse, quàm prodesse quodammodò videntur: quia sine fructu, nec ad verum finem addiscuntur. non vt indè rectiùs viuere, vel fortiùs mori queamus. Quis nunc imitari cupit Heluidium Priscum: Qui, vt Tacitus notat, Iuuenis admodùm, illustre Ingenium altioribus studiis dedit; non vt plerique, vt nomine magnifico segne otium velaret: sed quò firmior aduersus fortuita, Rempublicam capesseret. Vtilissimis disciplinis posthabitis, mera ἄδοξα, mera paradoxa, scabiosè nonnulli tractant.

28. Tandem & hoc notatu dignum esse videtur: quòd facilis & temeraria, Patriæ Morum ac Rituum mutatio, certissimum euersionis Præsagium esse reputetur. Ex mutatione nempè receptorum & distinctorum cognitorumque Habituum; quandò nostra nobis displicere incipiunt, & aliena nimiùm placere; verissimam, imò vrgentissimam præsumptionem Politici colligunt, & aliorum Ritus nos facilè sequuturos & nostros relicturos. Neque difficulter ex Diuinis oraculis hoc colligi potest: Quandò se visitaturum, ait Deus ipse apud Sophoniam, super Principes & super Filios Regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ. Insigne huius rei exemplum, apud elegantissimum Historicum, Q. Curtium, occurrit. Vbi inter alia κριτήρια transferendi Imperii Persarum, à Dario in Alexandrum Magnum recensetur; quòd Darius principio Imperii, vaginam acinacis Persicam, iussisset mutari in eam formam, quâ Græci vterentur: protinusque Chaldæos (superstitionem rei euentu comprobante) hoc interpretatos; Imperium Persarum ad eos, quorum Arma esset imitatus, transiturum. Quod si præsagium veritatis aliquam speciem habet: nos sanè omnium Gentium aliquando præda futuri sumus, qui omniū Gentium mores vestitusq; imitari affectamus. Videmus & experimur indies, quanta sit hodiè indulgentia Vestitus, quanta luxu- *Cap. 1. v. 8.* *lib. 3. d. gestis Alex.*

altiùs aſcendere non queat. Centum Solones ſi veniant, centum Numæ, totidem Iuſtiniani; internum & innatum hunc morbum vix mouere, nedum extirpare poſſent. Germana illa & priſca Grauitas, quâ vel Romanis illis Catonibus, Maiores noſtri magis ſeſe commendârunt; ſi non tota, at certiſſimè omnium magnâ ſui parte ita exoleuit, vt vix antiqua eius veſtigia reperiri poſſint: meræ Vanitatum gerræ & quiſquiliæ, Moribus noſtris in delitiis æſtimationeq; habentur. Et reuerâ quid ſumus, niſi vel Gallorum, vel Italorum, vel Hiſpanorum, imò vel Turcarum & Barbarorum in imitandis illorum moribus ſimioli & mancipia?

29. Generalia hæc ſunt, quæ hactenùs enarraui ſuccinctè. Quę ſi ad ſpeciem reducere vellem, nō niſi in infinitam multitudinem excreſcere quirent: vt & aliàs ſemper, genera à ſpeciebus numero vincuntur. Et tamen de hoc inprimis admonendi eſtis, optimi Auditores, non hoc fine de Periodis Periculiſque Politiarum, heîc à me tractari; vt ferocienti Seculo noſtro ſarcaſticè inſultare, Satyricumque agere, aut timidos meticuloſiores reddere velim. Sed vt Mala religioſè præcaueamus, neque noſtrâ culpâ pereamus. Annuit enim pœnitentibus Miſericors Deus, precantibusque facilis exiſtit. Et ne refractariâ Animi malignitate, monitis Diuinis porrò reſiſtamus; fruſtraque de Fato aut ſolatium captemus, aut excuſemus euentum fortis Fortunæ. Nos enim deſumus nobiſmetipſis, dum negligimus officium noſtrum. Atqui faciemus officium noſtrum; ſi Precibus inſtemus apud Deum, Prudentiâ aduigilemus rebus noſtris. Videlicet exigit vtrumque Deus, ſi impendentia auertere mala, vel ſaltem emollire velimus: vt nempè precibus quas Deo debemus, operas Reipublicæ piiſſimè prudentiſſimèque coniungamus. Reipublicę verò magis cōmodare nequimus, quàm ſi ſingulatim omnes ita nos geramus, ne communem Calamitatem augere, vel accelerare videamur. Cedamus Iehouæ Deo no-
m.13.v.16. ſtro Gloriam, quùm nondum tenebras effecerit; & quùm nondū offenduntur pedes noſtri, in montibus cæcioribus intempeſtâ no-
ch.9.v.4. cte. Suſpiremus & exclamemus, propter omnes abominationes iſtas, quæ fiunt in medio noſtri. Qui enim hoc faciunt, eorum Frontes ſunt ſignatæ, & ſeruabuntur.

30. Sanè Ampliſſimus Academiæ Noſtræ Senatus, ne quod ſuarum eſt partium quidpiam intermittat; cùm Magiſtratus pius prudenſque, aptiſſimum eſſe inſtrumentum videatur, quo Deus ſalutem

salutem multorum promouere gaudet: in semestre sequens, Rectorem publicâ hâc sollemnitate, designare voluit, Clarissimum & experientissimum Virum, Dominum *Iohan. Iacobum Haugium*, Medicinæ Doctorem, & eiusdem Professorem fidelissimum. Hunc ab Omnibus & Singulis Litterariæ nostræ Reipublicæ Ciuibus, debitâ subiectione agnosci, omniq́ue obsequii ac reuerentiæ cultu obseruari, Iussu, Auctoritateq́ue Procerum huius Vniuersitatis edictum atque præceptum volo. Insimul omnes omnium Ordinum Studiosos, Academicosq́ue Ciues vnâ omnes, hortor adiuroq́ue; vt precibus ardentibus Deum Optimum Max. sollicitare, & nunc & porrò nunquàm cessent: quò is æquè docentibus discentibusq́ue, vt hactenus, ita & in posterum Spiritu suo Sancto iugiter adesse; & Omnes à Mundi huius Vanitatibus decipulisq́ue ad se cõuertere, haut dedignetur. Vt si nõ in hâc Vitâ Pacem Tranquillitatemq́ue: attamen in alterâ, illam Beatorum requiem habere, eâq́ue in æternum vti, frui, possimus.

31. Et ne porrò, de consuetâ Sollemnitate aliquid omittatur; pro prisco Academico more, Tibi Inclute Rector, Insignia quædam, ad officii Tui tam dignitatem, quàm eiusdem rectè administrandi rationem quæ pertinere Maioribus nostris visa fuêre, publicè sollemniterq́ue trado. Modò priùs solitum (cuius capita Notarius recitabit) præstitum à Te fuerit Iuramentum.

Hîc Iuramentum intercessit.

32. Nunc ergò Magnificentiæ Tuæ, *Sceptrum hoc Regale*, ex puro solidoq́ue argento conflatum, in Manus trado; Dignitatis atque Potestatis quæ Munus concomitantur, Insigne monumentum. Sed addo *Librum Constitutionum Legumq́; Academicarum*; ad cuius normam, atque præscriptum (ne gubernatio arbitraria videatur) Magnificentia Tua, Rectoratus sui administrationem attemperabit. *Sigillum* item Magnificentiæ Tuæ, ad fideles Manus depono: quo, vt decet, Decreta & Edicta Senatus, quæ Publicam exigunt confirmationem, muniantur, atque cor-

getas largiatur. Et tam Capitis, quàm Membrorum omnium conatus, cogitationes, sermones, & actus ita moderetur: vt ipsum Corpus Litterariæ huius Reipublicæ, DEO, & simul Illustrissimo suo PATRONO, nunquàm non pergratum atque iucundum existat.

DIXI.

---

2. Timoth. 3. v. 1. &c.


Illud autem scias, fore vt extremis diebus instent tempora molesta. Erunt enim homines sui amantes, auari, gloriosi, superbi, maledici, Parentibus non obsequentes, ingrati, prophani. Charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, &c. Habentes formam Pietatis, sed qui vim eius abnegârunt.

1. Ioh. 2. v. 18.

Filioli, vltimum tempus adest, & sicut audiuistis, Antichristum venturum; etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse: vnde scimus quod est vltimum tempus.

Epist. Iudæ. v. 19. &c.

Vos autem dilecti, memores estote Verborum illorum, quæ prædicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi: Quòd dixerunt vobis; in extremo tempore, futuros irrisores, qui in impiis suis cupiditatibus incederent. Hi sunt qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes.



L. S.

SEquentia, chartis tantùm supplendis (quæ aliàs fuissent vacaturæ) subiungere placuit: aliàs ab argumento præcedentium Libellorum aliena.

Dn. CHRI-

Dn. CHRISTOPHORO BESOLDO,

Antecessori Celeberrimo,

Politico summo:

MAGNIFICO

Academiæ Tubingensis

RECTORI,

Ipsis hodiè Kal. Maii, Anno M. DC. XIV.

Electo, renunciato;

Gratulamur,

qui hîc infrà.

EVge bonum factum! iam Sceptra POLITICUS aurea
Musarum in Regno hîc sumit, & imperitat.
Felices nimiùm Populos! felicia Regna!
Queîs talem quondam Regem habuisse datum est.

Zach. Schæferus, Poët. & Histor. Professor.

QVi SIGNA temporum dedisti, TEMPORI
SIGNUM ipse sis; dum SCEPTRA RECTURÆ tenes.

Iohan. Bapt. Weiganmeir, Græc. & Lat. Linguæ Professor.

DVm, BESOLDE, tuus labor & cura ardua Pubis,
Unicè in Aoniæ militat officia;
Cumque inter pluteos, vigilesq́ libellos

Perficitur laus prima tibi, iamq́; vltima nescit
Vlterius famam Gloria ferre tuam.
Fortunæ ergò alii tibi candida vela precentur:
Ipse precor tanti NON GRAVE HONORIS ONVS.

M. Iohan-Martinus Rauscher.



INVITATIO AD FVNVS


Nobilis & Præstantissimi Viri,

Dn. CHILIANI BRASTBERGERI, &c.

RECTOR

Academiæ Tubingensis

CHRISTOPHORVS BESOLDVS, IC.



NVdiusquartus circiter horam decimam postmeridianam, miserias ærumnasque omnes, quibus cum in dies singulos, & singula dierum momenta Humanum genus conflictatur, felici transiliit saltu, in Beatorumq; Profugio locum inuenit; Vir Nobilis, multijugâ eruditione, rerumque variarum vsu vndecunque Clarissimus, Dominus CHILIANVS BRASTBERGERVS, Serenissimi Württembergiæ Ducis in Aulâ Consiliarius fidelissimus: & quem ab animi iuxtà ac Corporis, Fortunæque omnifariis Bonis, quòad vixit & viguit, felicissimum haberi potuisse censemus. A Parentibus namque præclarissimis (Anno post Humani generis redemptionem, 1569. die Septembris 15.) procreatus: Patre nempè Nobili & Magnifico Viro, Dn. IOHANNE BRASTBERGERO, Cancellario quondam VVürttembergico dignissimo; & MARIA, Nobilis item atque Amplissimi Iureconsulti, Dn. CHILIANI VOGLERI, Consiliarii VVürttembergici & Antecessoris olim in hâc nostrâ Academiâ, per plurimos annos præstantissimi, Gnatâ. Ab iisdem suis Parentibus vt ad laudem institutus; ita ad omnes Virtutes, quibus is, qui aliquando in hominum luce est victurus, indigere putatur, natus atque aptus inuentus fuit. Haud

verò

verò Artium ingenuarum & Iuriſprudentiæ fundamenta, hic Tubingæ poſuiſſe, ipſe ſatis habebat: ſed vberioris animi cultus capiendi cauſsâ, in celeberrimis quibusque Italiæ & Galliæ Academiis aliquandiù verſatus; Hiſpaniam inſuper, Germaniam, Belgium, Angliam, Scotiam, Bohemiam, Daniamque longè lateque peragrauit: in Siciliam quoque, & vſque illud Orbis Chriſtiani propugnaculum (Melitam dico) excurrit. Quin, vt rem pariter addiſceret Militarem (cuius abſque peritiâ, Virum nomine dignum, non iudicabat olim Tyrtæus Poëta) ſtipendia etiam ad Caniſiam, à Turcis antè occupatam, in Nobilium meruit cohorte. Cumque tandem in Patriam redux, variarum Linguarum cognitione, eximiisque aliis ornamentis, quæ Peregrinationes prudenter prouideque ſuſceptas, ſubſequi ſolent, egregiè dotatus appareret: & tamen (rariori noſtri ſeculi exemplo) Germanam eius fidem, Patriumque candorem atque conſtantiam, miſcella rerum morumque peregrinorum facies, nil quicquàm commutâſſet; Magnatũ mox gratiam, omniumque Bonorum fauorem, facilè ſibi conciliauit. Sed cùm iam ampliſſimos dignitatis gradus aſcendere, ad faſtigiumque votorum mox peruenturus iudicaretur; Remoram obiicit Prouidentia Diuina, manumque iniecit; imò Manui ipſius dextræ (ſecundùm carpum, locum, ob vaſa & apprehenſionis officium nobiliſſimum) Tumorem leui occaſione immiſit: qui ab initio incurioſiùs habitus, in monſtroſam paulatim magnitudinem formamque, & vltra malitiam gangrænoſam (malignis & continuis vndique humoribus accelerantibus) ſuccreuit: ita vt dexterrimorum Medicorum artem exſuperante malo, communi omniũ Peritiorum iudicio, ne pars ſincera traheretur; anceps & crudele ſectionis vſtionisque remedium, præhabito euentus dubii præſagio, tentandum videretur. Quod ille mirandâ animi firmitate pertulit conſtanter; & nullo ferè indicio acerbioris corporis ſenſus, Manum, cum parte non exiguâ brachii abſcindi, truncumq; can-

ſuſpiriis properantem (ſanctiſſimo viatico iam antè inſtructam) inter pientiſſimas adſtantium preces, tranquillo prorsùs diſceſſu, reddere coëgit. Duos in Animo Humano Oculos eſſe, rectè ſtatuunt Theoſophi; Humanæ Rationis, & Diuinæ illuminationis. Ante illum, ſi hanc Cataſtrophen, vnâ cum præcedentibus vitæ Actibus ſtatuamus; in magnâ ponet infelicitate, omnia ſubitò & præter opinionem commutari, medium abrumpi curſum vitæ; quæ poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina perpetuarum Peregrinationum, in Tranquillitatis portu ſuauiter quieſcere ſatagebat. Aulicæ gratiæ, Medicorum Chirurgorumque Imperium ſucceſſiſſe. Aulam in grabatum mutatam, partemque corporis non ignobilem præſcindi, mori, corpore reliquo viuo. At verò huic Mentis Oculo, Spiritus Sancti radiis illuſtrato, ſi hæc omnia proponamus; prouida Dei Optumi Max. Benignitas, & Defuncti noſtri, etiam in durâ atque crudeli illâ fortunâ, ſumma Beatitudo, omnibus mox, qui illo lumine non ſunt orbi, ſatis ſuperque perſpecta erit. De Vanâ enim huius mundi Vanitate edocuit luculenter, cõtemptumque rerum humanarum (ſine quo nemo placere poteſt Deo) commodiùs quàm vlla alia Schola, hæc ſola Defunctum docuit veræ Fidei Palæſtra: in quâ ſi non repugnanter accipere, eſt vincere, & patienter ſedatèque ferre, feliciſſimè eſt decertare; Coronam iam ferre poteſt noſter. Nos ſi Funus indicimus, Exequias ire iubemus: Fecimus officium noſtrum, quod dignitas & merita Familiæ, ipſiusque è vitâ egreſſi meretur. & Vos, Ciues Academici Ordinum omnium, etiam veſtrum perſolueritis; ſi parueritis. Obedientiam autem, affectumque erga mœrentem Matrem, mœſtosque monſtrabitis Cognatos, ſi cras horâ ſextâ, cùm campana Feralis ſignum dabit, ante ædes lectiſſimæ Fœminæ, Dorotheæ Varenbülerianæ, comparueritis; Defunctique corpus, ad patrium Sepulchrum (quod Eningæ, tertio abhinc lapide exiſtit) tranſportandum; non ſolùm ad maius huius Vrbis Templum, ſed & porrò, abſolutâ Concione, concomitaueritis ad Portam, quam vulgò nominant Hagenſem.

P.P. die 10. Iulii, Anno Chriſti

M. DC. XIV.

DENVN-

DENVNTIATIO FVNERIS

NOBILISS. CHRISTOPHORI Herter / in Hertneckh / ꝛc.

CErtis cuncta temporibus eunt; nasci debent, crescere, extingui. Nec Homines solùm quicunque sunt, quicunque erunt, in hanc funestam coniecti sunt Sortem: sed & Tempus erit, cùm omnes quæ vsquequaq; existunt Familiæ illustres (ex Filiorum iugi procreatione, Æternitatis quæ sispem proponere solent) Annè fuerint aliquando? quæretur. Libenter hæc audire debemus; non tanquàm noua, sed tanquàm in rem præsentem perducti. Floruit per multos Annos, imò per Secula multa, in hoc inclyto VVürttembergico Ducatu, Nobilissima Familia Herterorum; *Cuius Virtutum, præclarorumq; in Patriam benemeritorum, ex Annalium vetustate eruere recordationem, vt facilè, ita nimis longum esset. Intermortua hæc est proxumâ Dominicâ die, circiter Primam antemeridianam, obitu Strenui & Nobilissimi Viri, Domini* Iohannis Christophori Herteri, *in* Hertneckh *&* Dußlingen / ꝛc. *Qui, cùm aliquot dies antè, fluctu alui cruento laborâsset, morbiq; huius molestias moderatè tranquilleq; pertulisset; Animam reddidit Cœlo: à quo illam ducimus omnes. Natus is erat Anno Christi M.D.LIIX. Ianuarii die VI. Ad studia Litterarum retulit se in Iuuentute: sed citò adspirauit in Curiam Serenissimi, Optimiq; VVürttembergiæ Principis* Ludouici; *vbi vltra septennium Dapiferum egit. Iaurini Hungariæ, Præsidiarius Miles aliquandiù fuit: & quoq; Aulam vidit Magni Turcarum Imperatoris. Cæterùm sic Vitæ suæ instituit rationem; nunquàm Fasces cupere aut Opes, facilè omnes perferre & pati, atq; ideò facilè sine inuidiâ inuenire Laudem, Amicosq; pares. Perdiu apud Nos vixit; at non vlli grauis, aut malus. Hoc vno Infelix iudicari posset, quòd Ma-*

tur. & itidem, quod egregia Defuncti Humanitas, morumq́; suauitas merebatur; quodq́, Ciues Academicos Iubeo omnes: ad vesperam, cùm Campana Nos vocabit, ad Exequias cohonestandas, ante Ædes mœstissimæ Viduæ frequenter conuenire, Funeriq́; pro more sollemniter operam dare. P. XI. Augusti. Anno M.DC.XIV.

§ §

M. Antonin. Imp. de vitâ suâ. lib. 8.

Monimentis inscribi videmus; Fuisse aliquem Familiæ suæ vltimum. Quàm anxii verò fuerunt maiores eius, vt aliquem successorem relinquerent: & tamen necesse est, aliquem esse vltimum.

F I N I S.

